# DÆMONIS MIMICA IN MAGIÆ PROGRESSV TVM IN SECTIS ERRORVM QVORVM AVTHOR EST.

*V. ILLVSTRISSIMO NICOLAO BRVLARDO DOMINO DE SILERI* FRANCIÆ CANCELLARIO *meritissimo.*

HENRICI A MONTEACVTO Patritij, sancti Ioannis à Costa (Galliæ Narbonensis oppiculi) Domini, elugubratiunculis.

PARISIIS.

Apud CLAVDIVM RIGAVD, via Iacobea ad insigne quercus viridis, & in Palatio ad sacellum D. Michaelis.

M. DC. XII.

*Cum Regis privilegio.*

7440 M795
A.51197

# ILLVSTRISSIMO V. NICOLAO BRVLARDO. D. DE SILLERI FRANCIÆ Cancellario. S.

QVEM locum olim tenuit apud Persas, magistratus qui ὀφθαλμὸς βασιλέως id est, oculus Principis dicebatur, eundem obtinet apud nos tua dignitas (Cancellarie meritissime) non tantum quod tam acri cura & studio rebus regni inuigilet, sed quod nunquam ad tantum culmen nisi oculati & magni viri conscenderint. Visum in omnibus, qui hunc magistratum gessere à Clotario (à quo institutus est) vidi-

virque in te hodie, Oculato Doctrina & Prudentia quæ (vt aiunt politici) humanæ vitæ sunt oculi. Oculato pietate in Deum, comitate erga populum, solertia in rempublicam, integritate in regem. Te his pollere, Henricus cognomento Magnus expertus est, dum terna pro eo legatione tam egregiè functus es. Experta semper Gallia & in hoc die luctuoso, dum ob tanti regis interitum pullata ciuitas, mœsti ordines, turbati proceres ingemiscerent, ne quieta respublica nouis motibus quateretur timentes. Experitur rex Ludouicus qui præsertim in hac ætate vt planta adhuc tenera post rorem diuini numinis ope humana & fulcris indiget. Virtutes voco hic oculos, illi venustas sunt corporis, hę mentis. Addidi pietatem in Deum, sine hac enim caduca & fluxa omnia. Addidi comitatem in prosperis vt & indicium magni animi: multi in summo gradu constituti, subito insolescunt & solo nutu supercilii accedentes repellunt, in hoc pusilli & rerum humanarum parum gnari. Tu

*vero in tanto gradu omnes audis ſuauiter, & ſic* OCVLVS *Principis* AVRIS *es populi. His oculis his virtutibus exornatus es: ſed quia pietate in Deum præſertim polles, & hæc opella etſi ſuo authore ingloria, ad honorem Dei & gloriam vtcumque videtur tendere, ideo concupiui vt ſub tuis auſpiciis exiret in lucem. faue igitur & benigno oculo eã ſuſcipe licet indignam (ſi authoris ſtilum & ſenſa reſpexeris) quæ tuo nomini dicata nuncupataque ſit. Vale Lutetiæ Pariſiorum pridie Kallendas Februarii. 1612.*

# Lectori Candido. s.

E vna eadem quere ſcribũt varij, ſed diuerſo ordine & sẽſu. In magicis quidam iocoſa & lepida, quidam horrenda & triſtia: Bene & hi & illi: quæ enim produntur de arte & dolo Dæmonis, nos præmonent ad cauendum eius inſidias. De morbis corporis ſcribunt medici præſertim cum morbi ſæuiunt: ſcribendum de hoc morbo animæ (quo haud eſt venatior) cum iam ſæuiat? quid ita? poſt legẽ CHRISTI, qui

*in hoc apparuit filius Dei Vt diſſoluere opera Diaboli*, ſed, venit CHRISTVS Dæmonem vincere; non tamen libertatem arbitrij tollere. Quod ſi interdum nonnulli etiam ſacerdotes deprehendantur huius nefandæ artis periti, vt in prouincia anno elapſo Ludouicus Gofridius qui ſenatusconſulto Aquenſis curiæ magiæ conuictus & damnatus eſt: nihil mirum: hic enim nequam ſpiritus quaſi maiore niſu enititur & res ſacras in magicis paſſim inſerit, & verba tracta ex ſacris paginis, ob tres cauſas 1. vt profanet res ſacras, 2. vt adoretur libentius. 3. in Dei contumeliam: Cur igitur nouatores in re tam leui 1. Ioan. 3.

inſiſtunt, & libellum confeſſionis prædicti Gofridij à ſuis curant emi & venundari, vt rudi plebeculæ, quam decipiunt quaſi horrorem ſacerdotum incutiant. Sacerdotes, nonne homines ſunt errare poſſunt & decipi: Hæc mores non religionem reſpiciunt. Et quia in confeſſione prędicti Gofridij quædam ſunt quæ anſam præbent nouatoribus nonnulla friuola proponendi, vt dum confeſſus eſt in his magorum comitiis ſeu ſabatis ſacrificium miſſæ peragi, vt intelligant id non fieri niſi pręſtigiis & luſibus Dæmonis ea quæ Dei ſunt mimice effingentis, & quæ ipſis dubitatio-

ni nobis argumento ſint fidei, quid ludat & luſerit nequam ſpiritus inſtitui in hac opella oſtendere. Tu lector quæſo annue & noſtræ tenuitati ignoſce.

*Editio ſcatet mendis.*

NOS ſubſignati Facultatis Pariſienſis Theologiæ Doctores librum legimus & diligenter examinauimus, cui titulus talis, Dæmonis Mimica in Magia progreſſu tum in ſectis errorum quorum author eſt, Henrico à Monte-acuto patritio authore: In quo nihil diſſonum fidei Catholicæ ſed eruditæ multa & piæ animaduertimus: quod expreſſis hic teſtamur noſtris ſigillis. Lutetiæ VII. Calendas Feb. 1602.

I. le Vaſſeur.

Archidiaconus Nouiom.

Hubertus Tranchant.

*Extraict du Priuilege du Roy.*

PAr grace & priuilege du Roy, il eſt permis à HENRY de MONTAGV, Eſcuyer ſieur de la Coſte en Languedoc, de faire Imprimer à tel Imprimeur que bon luy ſemblera vn liure par luy compoſé intitulé ( *Dæmonis Mimica in Magiæ progeſſu tum in ſectis errorum quorum author eſt* ) dedié à Monſieur le Chancelier, par laquelle ſont faictes deffences à tous Imprimeurs, Libraires, & autres de ce Royaume de l'Imprimer, vẽdre, où debiter, ſans permiſſion & ceſſion dudit de la Coſte, ſoubs les peines portees par ledit priuilege. Donné à Paris, le 27. iour de Ianuier l'an de grace 1612.

Par le Roy en ſon Conſeil,

Signé, BOVCHARD.

# OPERIS INSTITUTUM & ſumma.

MIHI Dæmonis mimicam arteſque varias recolenti obuerſatum eſt prima fronte quod exinde ſæpius legeram. *Aduerſarius noſter Vt pote diuinorum operum æmulator.* Et ſanè id ſatis tritum in dubium reuocare neminem puto. Deus habet ſua ſacra, Dæmon ſua: *tingit & ipſe quoſdam* (inquit Tertulianus) *Vtique credentes & fideles ſuos.* Deus habet ſuos ritus, Dæmon ſuos. *Expiationum delictorum de lauacro repromittit,*

*D. Bernard. Serm. 2. in Purific. B. Mariæ.*

*Tertul. l. de præſcript.*

*initiat, mitrhæ, ſignat illic & in fronte milites ſuos.* Deus habuit ſua templa, Dæmon ſua. Suos Martyres, Dæmon ſuos: fuere vates qui diuino afflati ſpiritu vaticinati ſunt: fuere pariter qui Dæmonis inſtincti furijs eius oracula celebrarunt; ſed quid dico? habuit? Cùm & hodie habeat ſua templa & oracula non in remotis tantùm Aſiæ partibus, ſed paſſim, imo & Gallia quæ tot ſeculis (vt ait Hieronimus) monſtra non nouerat. At de his fuſius ad calcem ne iam extra apium. Sunt cauto duci artes variæ, mimũ agit, & mira fingit, ſed fingit vt dolos miſceat: ſic piſcator dulcedine hamum illinit: Crocodilus humana mentita voce Niliaccolas ad ſe attra-

hit, attractos deuorat. Innuebant fortè Ægyptij sub hac bellua eum colentes in Isio & Serapio.

*Aegyptus portenta collit. crocodilum adorat*, & græci in furiarum sacro pateram ouino vellere obtegentes.

κρατῆρες εἰσὶν ἀνδρὸς εὐχειρος τέχνη
οἰὸς νεαρᾶς οἰοπόκω μαλλῶ λαβών.

Sophocles in Oedipo coloneo.

.I. *Sunt crateres viri ingeniosi arte fabre facti.*

*Ouis iuuēculæ noua lana ornabis*

Cęterum ne quis quæ hic ponam mali consulat, à carceribus & ante ingressum huius curriculi (quod etsi Puluurulentum scrupis & spinis obsitum) pro virium tenuitate decurrendum proposui, lectorem moneo & hæc verba Augustini hic insculpo in operis fronte, *quod namque*

8. de Ci-uitate c. 24. *possunt tanquam Dæmones possunt: nec tamen quodlibet horum nisi quando & quantum permittuntur alta & secreta Dei prouidentia.* Exemplo sint Pharaonis Malefici qui cum virgas in serpentes, aquam in ranas conuertissent, tandem deficientes exclamant VERE DIGITVS DEI HIC EST. His præmissis auspicabor à vaticinio quo ille omnes velut animi neruos doloque conuertit, vt hoc falso diuinitatis integumento homines ad sui cultum impelleret.

Exodi 8.

# *DÆMONIS ARgutia, & antiquorum ſomnia de futurorum notione.*

## CAP. 2.

HAVD erat inepta Epicureorum argumentatio, qui ne Deos eſſe concederent futurorum notionem negabant, *Contorquent & ita concludunt non igitur ſunt Dij nec ſignificant futura.* Vafer dæmon haud inſcius à diuinatione Diuinitatem humanæ menti obrepere ſtatim à mundi exordio Deum æmulans ſuos etiam vates habere voluit, ſed priuſquam eorum ſeriem

attexamus. Quædam de vaticinio veterum somnia prælibanda, & quidem primo occurrit facetum Ammiani commentum *Sol* (inquit) *mens mundi nostras menses ex sese velut scintillas diffundens, cum eas vehementius incenderit futuri conscias reddit unde sibyllæ crebro prædicunt ardore torrente & vi magna flammarum multa significant.* Quod commentum ex eo tractum est, quod olim essent aliqui diuinantes quibus se Dæmon sub forma ignis offerret, de quibus intelligendum illud Iamblichi, *quin etiam* (inquit) *qui numen suscipit ante susceptionem aspicit quandam ignis speciem* & paulo post, *cum igitur ignis diuini præstantia & lu-*

Iamblichil. de mysterijs.

*minis ſpecies quædam ineffabilis extrinſecus incubet occupato, impleatque ipſum totum, & penitus dominetur quisnam ſenſus, Perceptioue potest adeſſe animo diuinum ignem ſuſcipienti* Imo (vt infra dicemus) Pythya ſeu Phœbas vaticinabatur per ſpiritum quemdam tenuem igneumque, qui erumpens ex ore antri ipſam afflabat. Itaque Iamblichus diuinum vocat hunc ignem quo Dæmon ſuos vates circumueſtiret, ſed de his fuſius infra.

Alterum ſomnium quod occurrit eſt *Pythagoræ* qui totum aëra plenum eſſe animis dicebat, eoſque & Heroas & Dæmones exiſtimari atque ab his hominibus im- *Laertius in Pythagor.*

mirti ſomnia, ſigna, diuinationem omnem & vaticinia.

*Plato in Phædro* Nec minus faceta Platonis hac de re opinio cum ait diuinationem nihil aliud eſſe quam furorem & cum eſſe duplicem, vnum fieri mentis intentione ex corporis cauſa, alterum diuinũ ſeu immiſſum, nunc autem vaticinium μαντίαν appellari; cum antiqui μανίαν tantum appellauerint, rurſus furorem diuidens, alium ait fieri ex libero patre, alium ex amore quem vocat ἐρωτικὸν alium ex muſis quem ποιητικὸν, quò reſpexit fortè Horatius in hoc carmine.

*Horat. in arte.* *Excludit ſanos helicone Poëtas*
*Democritus.*

Et Papinius de ſe ipſo canens

*lib. 1. Thaba.* *Tempus erit tua laurigero cum*
*fortior æſtro*
*facta canam.*

at vnde id *Platonis* dogma emerſerit, dicetur infra vbi de Orgijs ab Orphæo inſtitutis, nec aliunde ſuam *Philoſophiam* trahebat *Plato* quam à rerum experientia cum fere omnes dæmonis vates qui Oraculis præerant furore & concitatione quadam animi diuinarent.

Platonici quidam à magiſtri ſententia diſcedentes quod ille ad furorem, ipſi ad quietem retulere, aſſerentes animos præcipuè imbecillium puerorum & mulierum quadam carminum euocatione ſiue odorum ſuffitu & delinimento ſopitos remota corporis memoria ad eam tranſire naturam quæ immortalis eſt & diuina: atque ita: velut quodam ſopore de-

tenta quę futura ſunt diuinare? facetum ſane delirium quod & Apuleio placuiſſe ex eius libris colligitur. Confirmabatur tamen à Dæmone in Branchi Oraculo vbi ſacerdos hauriens vaporem ex aqua diuinabat. (de quo fuſe infra)

*P*ythagorici quidam non per odorum ſuffitum, ſed per muſicam præcipue animas ad diuinationem accedere aſſerebant, lepido argumẽto, cũ muſica ſi ſit ſuauis & iocunda per aures illapſa ſenſim ſine ſenſu animam rapiat.

Ariſtoteles vero moroſé hac in re Philoſophans, non à muſica aut odoribus ſed ab atra bile & melãcholia vaticinia prouenire contendit. Qui quantumuis naturę genius

impegit tamù in hũc ſcopulũ.

Cicero cum ſe à forenſi puluere ad Philoſophiam contuliſſet, ferre voluit in hac lite ſuum calculum, Cum omnia (inquit) completa & referta ſint æterno ſenſu & mente diuina, neceſſe eſt cognatione diuinorum humanos animos commoueri, quod ſi quiſpiam forte obijciat, cur igitur non omnes vaticinantur? reſpondet noſtros animos vitę neceſſitatibus ſeruire propterea-que diſiungi à ſocietate diuina & vinculis corporis impediri, rarumque eſſe genus eorum qui ſe à corpore auocent, & ad diuinarum rerum cognitionem cura omnique ſtudio rapiantur, nec ideo etiam naturaliter animus ho-

minis diuinat nisi cum ita solutus est & vacuus vt ei plane nihil sit cum corpore, hęc Cicero, scribit autem animum hominis non diuinare naturaliter sed cum solutus est & vacuus eo quod in multis oraculis fœminę illę fatidicę, prius abstemiæ & in recessum quemdam abditę responsa darent. Vbi vero de cognatione humanæ mentis cum diuina attingit impium stoicorum decretum qui dicebant animum humanum esse ἀπόσπασμα θεοῦ id est quiddam à Deo tractum & sumptum, seu vt Poeta loquitur.

——— *diuinæ particulam auræ.*

Impium (inquam) & falsissimum cui subscripsit deinde Marcion impietatis & erro-

ris damnatus, in quem extant luculenti Prudentij versus.

——— *desine nostræ,*
*Inuidiam conflare animæ quod sit Deus aut quod*
*Portio parua Dei.*

Prudentius in Apotheosi.

& rationem reddẽs hæc subiungit quę gemmeis si possem litteris hic inscriberem.

——— *non sicut sculptor ab æris*
*rudere decoctam consueścit fingere massam*
*sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.*
*Nil erat omne quod est. Nil id procedere & esse*
*atque nouum fieri, mox & grandescere iussum est,*
*paruum de nihilo primum fuit: addita paruo*
*incrementa modis auxerunt omnia plenis.*

Et miror cur hęc dixerint ſtoici, & poſt ſtoicos Marcion & Manichæi, cum mens noſtra craſſis tenebris circumfuſa ea quæ ſcit, perſenſus quaſi oſtiatim emendicet. Quare ritè ab, Auguſtino & Theodoreto edocemur animas noſtras non factori ſuo Deo conſubſtantiales ſed ex non exiſtentibus eſſe conditas.

*Auguſt. contra Mani. Theodoret. in Epitome diuinor. dogmat.*

Nec ſunt minus iocũda eorũdẽ veterũ ſomnia de loco vnde effluerent vaticinia, aliqui enim dicebant à corde, vnde Cortina Apollinis nomẽ traxerit, alij verò ab hepate vt Apollonius Thyaneus apud Philoſtratum, *Hepar* (inquit) *vbi vaticinij ſedem eſſe dicunt artis periti ex non puro ſanguine conſtat, to-*

*in vita Apollon. l. 8. c. 3.*

*tum enim ſincerum purum ſanguinem continet cor.*

Sed miſſis antiquorum nugis, rei veritas Chriſtianis innotuit. Eſt itaque verè & propriè dictum vaticinium diuina quædam reuelatio ſiue lumen menti à Deo inſitum, vaticinium vero Dæmonis improprium & toto cælo diſtans à diuino. Sed tamen quia Dæmon & ſcientia pollet & ex ſubtilitate naturę multa cognoſcit, abutitur ille in Dei odium, & inde habet ſuos vates & Ariolos.

*Caſſiodorus Prologo in Pſal.* *D. Tho. 2. 2. q. 172.*

# QVANDO FVERINT *Primi Vates Dæmonis.*

## CAPVT. III.

AETERNÆ mentis in hominem beneuolentia à mundi exordio tanta extitit, vt quasi eã mutuis vellet fouere colloquiis πρωτόπλαστος seu primus homo primus etiam fuerit *Dei* Vates? numquid extat eius vaticinium quod de ecclesia à latere secundi Adami oritura vulgo exponitur? sed huius necessitudinis rupto vinculo, & inde: Dæmonis erectis signis, vbi & quando suos vates habere cœperit non omnes idem

ad Rom. 12.

ſentiunt, ſunt qui dicant ante diluuium, eosque non alios fuiſſe quam gigantes quos propterea mytologi dracontinis effingant pedibus. Alii vero poſt diluuium, ſubnixi authoritate Epiphanii, qui id videtur innuere in principio & fine panarii operis, & in epitome Catholicæ fidei: nec deſunt qui aſſerant nullos fuiſſe *Dæmonis* vates ante Moſem hoc fulti argumento: haud fieri poteſt (inquiunt) Dæmonem ſua vaticinia prius habuiſſe quam Deum, at Moſes primus fuit Dei vates, *Primus Prophetarum Moſes* (inquit Euſebius) *alium Prophetam ſibi ſimilem ſuſcitandum denuntiat*, vbi exponit Dei reſponſum Moyſi reddi-

*Euſeb. l. 3. de demõſtrat. Euangelica c. 2.*

tum, *Prophetam ſuſcitabo eis de fratribus ipſorum tamquam te, & dabo verbum meum in os illius, & loquetur eis iuxta omne quodcumque mandauero illi.* Denique probant ex eo quod Zoroaſtrem inuentorem fuiſſe artis Magicæ hiſtoriæ monumentis proditum ſit. at Moſem fuiſſe ante Zoroaſtrem liquido conſtat, cum Zoroaſtres multis verſuum millibus de magia ſcripſerit, (vt dicam infra) & Moſes, ex eodem Euſebio, antiquior ſit non modo Homero verum etiam omnibus qui ante eum aliquid ſcripſerint. Quod autem Zoroaſtres huius nefandæ artis author fuerit paſſim legitur, *Sed eius*

Deuter. 18.

*tempestatis Persæ* (inquit) Agathias) *vetustos mores mutauere, alienisque legibus vtuntur ex Zoroastris Oromasi Dei disciplinis, hic inquam Zoroastres siue Zarades, duplici enim vocitatus est cognomine, quo tempore Princeps fuerit, legesue tulerit non satis est compertum. Vtcumque hic Persarum magister & magicæ inuentor* idem proditum est à Plinio qui de hac arte magica differens, *sine dubio* (inquit) *illic orta in perside à Zoroastre vt inter authores conuenit, sed vtrum vnus hic tantum fuerit, an postea & alius non satis constat* idem etiam a historico Iustino.

*Agathias li. 2. histo.*

*Plin. l. 30. natural. histor. c. 1.*

*primus* (inquit) *Zoroastres dicitur artes magicas inuenisse & mundi principia syderumque motus diligentissimè spectasse* nec obstat quod Iustinus allucinatus sit, & vnum Zoroastrem pro alio sumpserit, ille enim de quo hic loquitur Bactrianorum rex fuit qui à Babylonio rege Nino Semiramidis marito prælio victus est. Hæc est quorundam opinio.

Sed aliis asserentibus etiã ante Mosem Dæmonis vates fuisse libenter subscriberem, nam & tempus legis naturæ tali peste non caruit. Et Pharaonis malefici qui æmulo quasi studio cum Mose con-
Exodi. tendunt, hanc artem non fuisse rudem & nouam sed iamdudum inueteratam sa-

tis indicant. Argumenta verò in contrarium plumbea ſanè ſunt & facile retundi poſſunt. Quoad primum, falſo nititur fundamento, nec obſtat quod Moſes vocetur primus Propheta ab Euſebio, vocatur enim primus Propheta per excellentiam, quia *non ſurrexit vltrà Propheta in Iſrael ſicut Moſes quem nouerit dominus facie ad faciem in omnibus ſignis atque portentis.* Quoad alterum ex eo tractum quod zoroaſtres magiæ author ſit apud authores, futile etiam eſt nec fortius primo: nam multi fuere Zoroaſtres, & ille perſicus de quo hic ſermo ideo magię author & inuentor dicitur quod primus de ea ſcripſerit, & quidem vber- *Exodi. c. vlti.*

tim ſuggerente videlicet Dæmone, & etiam quod inter maleficos primas tenuerit, (vt infra dicetur) ſed profecto vt in lernę bellua ab Hercule occiſa, vno capite amputato aliud enaſcebatur, inquæſtionibus curioſis idem euenit. Itaque ex præcedenti quæſtione quam hic moui alia videtur enaſci videlicet *vbi & quis primus fuerit.*

---

## *VBI FVERINT PRIMI vates Dæmonis & quis primus fuerit*

### CAP. IIII.

DVO quærimus. primum enodat Varro, qui libro ſexto de lingua Latina, *Fauni* (inquit)

*Dij latinorum. Hos Versibus quos Vocant saturnios in syluestribus locis traditum est solitos fari.* Faunos vocat primos maleficos qui in nemoribus prima oracula cecinere inde *à fauno* tractum est *fati* vocabulũ, & vates dicti *Arioli* quasi farioli, nec refert quod Varro tantum intelligat de primis, qui Latium coluere, & potissimum de hoc fauno eiusque sorore & coniuge, quam Caius Bassus apud Lactantium fatuam faunam nominatam tradit quod mulieribus fata canere consueuisset vt faunus viris. Nam illud Varronis ad omnes primos maleficos vbicumque & quotquot fuerint extenditur, & ideo luculentius quod vltra mentem au-

*Lactãt. lib. 1. cap. 21.*

thoris longè pateat, vt videbitur in decurſu, nam & primi Perſarum magi in ſyluis fuere, & hac arte à Perſide in Græciam lata, primi magiç Profeſſores in ſyluis viſi ſunt imo & eorum pæcipui in ſyluarum ſpeluncis manſere vt maiori ſtupore ab hominibus colerentur, (vt infra dicetur) & quia hos faunos ſeu primos vates in ſyluis degentes Aborigenes & e terra ortos cęca credebat antiquitas.

8 Æni. *Hæc nemora Indigenæ fauni nymphæque tenebant,*
*Gensque virûm truncis & duro robore nata.*

Inde receptum eſt id Eumolpi, *Oraculum telluris primum fuiſſe, cuius Promantis indigena nympha fuerit: Mox commune*

*cõmune fuisse telluris & Neptuni perconẽq; Neptuni ministrũ ad vaticinia edenda: Post hæc themidẽ à tellure diuinationẽ accepisse, tũ demũ à themide Phæbum.* Telluris primum fuisse quia cum hi, fauni e terra seu telluré orti diuinarent, tellurem hominum & Deorum matrem in se prius diuinationem habuisse consequens erat, (id erat vesanæ antiquitatis ratiocinium) inde telluris seu magnę matris Sacerdotes diuinandi arte pollebant quam furentes plerumque exercebant, ea erat Dæmonis fraus vt etiam prisca commenta hominum menti imprimeret. Nec mirum si Telluri seu magnę eorum matri diuinatio primo tributa sit, cum *Plutarch. in mario.*

nihil Diis reliquis quod non prius ipſi cõcederetur, quod facetè & luculenter ridet Tertullianus vbi de ipſius ara in ſpectaculis, *frigebat* (inquit) *Dæmonum conſilium ſine ſua matre magna, ea itaque illic præſidet in euripo.* Poſteriora verba *mox communefuiſſe Telluris & Neptuni, poſt hæc: Themidem à tellure diuinationem accepiſſe: tum demum à Themide Phœbum*, fabuloſa videntur prima fronte ſed Magię progreſſum rite explicant: ecce primo in ſyluis Dęmon ſylueſtres & rudes homines primo decipit: à ſyluis ad mare vſque ſe protrahit, Paulatim ſuas artes tam longe & late diffundit, vt vbique eius oracula & vaticinia celebrẽtur.

*Tertul. l. de Spectacul. c. 8.*

Sed ab Eumolpo ad Varronem redeo & eo lubentius quod myſticum aliquid lateat in eius γνώμη, nec poſſim quin reflectam animum ad illa verba *in ſylueſtribus locis*. Quærit Dæmon non tritum veſtigiis ſolum ſed ſylueſtre: in abdito dolos expliçat, & remotos homines à communi aliorum cætu facilius decipit. Quòt epidemicæ animi lues è ſyluis ortæ innumeras fere vrbes ſuo contagio polluere: poſſem proferre exempla, ſed ne falcem in alienos agros iniiciam. Albigenſium hæreſis quæ olim in hoc regno ſæuiit, vt viperinus quidam fœtus in Occitaniæ ſyluis concepta tam longè lateque excreuerat, vt nonniſi centum

millium eius ſectæ hominum ſtrage profligata ſit.

Quoad alterum quod hic quærimus videlicet quis primus fuerit vates Dæmonis, varii varia ſentiunt & in hac opinionum congerie difficile eſt aliquid certi ſtatuere. Quidam aſſerunt Belochũ Aſſyriorum regem primum fuiſſe ariolum, alii vero non artem inueniſſe ſed illuſtraſſe. Plurimi controuerſiam trahunt ad magiam in vniuerſum: idem enim primus fuit vates Dæmonis, qui & primus magus, ſed Cham Noæ filius primus magicæ artis ſtuduit, non enim alienum à fide quod Beroſus de eo tradidit, *Noa* (inquit) *filium habuit Chem qui magicæ profeſſioni & veneficijs ſem-*

Beroſus in fragmentis.

perſtuduit, vnde & Zoroaſtris nomen aſſequtus eſt, cum autem à parente Parum amaretur eum forte aliquando vino madidum eluſit, clamque illi magico carmine ita impoſturam fecit, vt ad venerem ſit impotens factus: nec alienum à fide (inquam) etſi textui ſacræ hiſtoriæ non congruat, Chem enim parentem eludens, à Dæmone cuius ſubiacet poteſtati quidni huius artis pręſtigiis imbui potuit?

Nec obſtat quod Phrygion in ſuo Chronico antiquiorem magum videatur innuere ex eodem vt ait Beroſo. *Oceanus* (inquit) *quem mizraim crediderim ad Nilum ægypti conſedit. Inde ſuperuenit ille corruptor generis humani Cham Saturnus Aegyptius Cha-*

*Conſtãtinus Phrygiõ ad ann. mũdi.* 1805.

*maſenus ob morum corruptionem cognominatus, vbi Telchinem magicam docens maxima opinione celebrabatur.* Nam Phrygionis verba non antiquiorem fuiſſe Telchinem concludunt ſed tãtum coætaneum.

*Chami vita ex Phrygionis Chronico & Beroſo.*

Cham denique huius nefandæ artis authorem fuiſſe vitæ acta confirmant; nam quoad vixit per omnes fere oras ſua ſcelera ſeminans huc & illuc errauit. Anno ab Orbe condito 1898. venit in Italiam ad Comeros, cæpit colonias regere atque (vt ait idem Phrygion) ſuis ſceleribus & impietatibus corrumpere. anno deinde 1925. Ianus in Italiam venit & eum Italia expulit. Italia expulſus & cum Rhæa inſi-

gni malefica matrimonio copulatus contra Hammonem regem Libyæ hoſtili manu progreditur, ſed non proſpere, cedente bello inde ad Bactrianos diuertit, quos etſi magico præſtigio deuinxiſſet, ibi tamen à Nino Babyloniæ rege prælio victus & truncatus eſt, hæc Phrygion. Nec mirũ ſi miſer ille Cham ad inſtar vagæ & errantis belluæ huc & illuc curſitaret, cum enim à Deo qui vbique eſt per magiam deſciuiſſet quò iret neſciebat? *Quo ibo à ſpiritu tuo aut à facie tua quò fugiam? Si aſcendero in cælum tu illic es: ſi deſcendero ad infernum ades? Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etiam illuc manus tua deducet* *Pſalm.* 138.

*me, & tenebit me dextera tua.* Quare idem Cham ob tale crimen quo desciuit à Deo, patris maledicto impetitus & paterna domo eliminatus est, symbolum est hæreticorum, à Deo & ab Ecclesia (quæ fidelium paterna domus est) recedentium, testatur Augustinus decimo sexto de ciuitate. *Cham* (inquit) *qui interpretatur callidus medius Noæ filius, tanquam se ab vtroque discernens, & inter vtrumque remanens, nec in plenitudine gentium: quid significat nisi hæreticorum genus callidum non spiritu sapientiæ, sed spiritu versipellis astutiæ.* Symbolū (inquam) quia hæresis & magia Germanę sunt & hæretici si non scientes vt magi, imprudentes saltem

*D. Aug. lib. 16. cap 2.*

colunt Dæmonem. Hæc eſt multorũ opinio & vulgatior.

Non deſunt tamen qui inuentionem maleficii non Chamo ſed vni ex Zoroaſtris attribuant, Perſico ſcilicet qui & Dæmoni mithræ nomine ſacra inſtituit, & primis erroribus Perſas imbuit. Multi enim fuere Zoroaſtres, quidam tres ponunt: alii quinque: ſed ne plura in hac quæſtione inquiram curioſius. Certum eſt hunc Zoroaſtrem (qui Perſa aut Aſſyrius fuit) ideo huius artis authorem dici quod inter Dæmonis famulos primas tenuerit, & primos, (quorum extet memoria) magiæ ritus inſtituerit, quos tamẽ antequam hic inſcribam, dicam aliquid de eius vita

quia Dæmonem in hoc ſuo famulo Moyſi coætaneo Moyſis vitam & ſanctimoniam falſo ęmulatũ reperio. Ordiens igitur ab hac Mimica Moſem cum illo conferam; ſic tenebræ luci oppoſitæ eluceſcunt & contraria contrariis poſita clariora ſunt.

---

# DÆMONIS *Mimica in ſuo Zoroaſtre Perſico.*

## CAPVT. V.

*Genebrardus. lib. 1. Chrono.*

MOSIS vita ab anno mundi 2550. ad annum 2670. protracta eſt. Zoroaſtres circa hæc

fere tempora inter viuos commoratus est.

Mosem Prophetarum Dei quasi principem testantur sacræ literæ, *& non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moses.* Zoroastrem vatum Dęmonis Coryphęum produnt authores. Moses etsi primus Dei vates non fuerit, primus tamen per excellentiam appellatur. Zoroastrem (etsi eum malefici multi pręcesserint) primum tamen & artis magicę inuentorem ab authoribus appellari supra vidimus. *Deuteron c. vltimo.*

Primus omnium Moses veram Theologiam scripsit, videlicet de vno solo ac immenso rerum opifice & earumdem rectore. Zoroastres primus falsam videlicet

artem magicam quia ea quę Dei ſunt Dæmoni tribuit, & tam affatim vt de tam fuſo huius artis ſcriptore Plinium audire lubeat, *Hermippus* (inquit) *qui de tota ea arte diligentiſſimè ſcripſit de ea vicies centum millia verſuum à Zoroaſtre condita indicibus quoque voluminum additis explanauit.*

Plin. l. 30. c. 1.

Moſes primus Dei ἄσματα quæ nos cantica appellamus exarauit, & quid aliud Zoroaſtris hæc carmina quam Dæmonis Panegyrica?

Itaque ſicut Moſes primas tenuit inter Dei Propheras, Zoroaſtres inter vates Dæmonis. Imo (quod magis mirum) Dæmon in hoc ſuo famulo Moſis vitam

& ſanctimoniam adumbrauit, vt videlicet ſub hoc ſanctimoniæ pallio homines falleret.

---

## ZOROASTRIS

*ficta vita & integritas, ſed mors horrenda, poteſt Dæmon mire fingere in vita malefici, ſed eius omnis aſtutia morte detegitur.*

### Cap. VI.

MIRATA eſt Sparte Cleãthis Picturas: Obſtupuit Corĩth⁹ ad tabulas Agerontis ſui ciuis. Mirata eſt tota Græcia Zeuxis manu depictas vuas quæ accurrentes a-

ues eluderent! Dæmonis pictura mirabilior quia non aues sed viros decipit, exemplo est Zoroastres in quo Moysis pietatem mire effinxit.

Moses mansit in deserto: pariter Zoroastres & quidem viginti annorum spatio.

Moses & aspere vixit & ieiunauit: pariter Zoroastres & tam aspere vt multorum annorum spatio caseo tantum victitauerit; vnde & Persarum magi ab eo institutii in arundinis summitate præfixum caseum ferebant (vt dicam infra) & eius exemplo Pythagoras suam sectam instituit, vt adnotat Clemēs in stromatis & Apuleius in Floridis, vbi refert Pythagoram inter Cambysæ cap-

*Ex Laertio.*

*Apuleius l. 2. floridor.*

tiuos in Ægyptum ductum doctores habuiſſe Perſarum magos ac prȩcipue Zoroaſtrem *omnis* (vt ait) *diuini arcani antiſtitem.*

Moſes ſæpe à corpore auocatus diuinorum ſpeculationi animum intendebat: id etiam æmulatus eſt Zoroaſtres quippe qui magorum ſectam inſtituerit, quorum Philoſophię ſumma erat ſpeculatio.

Moſes occupabatur fere ſemper quaſi mutuo Dei colloquio, Zoroaſtres etſi cum Dæmone verſaretur, eum tamen rude vulgus Dei familiarem credebat. Moſes vir Dei In Deuteronomio appellatur, & quidem merito Zoroaſtres etſi eſſet omni flagitio deditus, atta-

*Deuteronom. c. 33.*

men *Omnis diuini arcani antiſtes* appellatus eſt, & Euſebius inter eius ſcripta librum qui ſacer inſcribitur, celebrat. Moſes vt dicitur actorum 7. inſtructus erat omni ſapientia Ægyptiorum, id eſt (vt exponit Iuſtinus martyr) *Philoſophia Aegiptiorũ*. Zoroaſtres Philoſophiã apprime calluit, vt teſtantur & quatuor libri quos de natura compoſuit & eius oracula ſeu ſymbola quæ Platonici interpretes admirantur & pſellus expoſuit.

*Iuſtin. li quæſt. & reſpõ.*

Moſes ſtatuas inhibuit & abhorruit, nam cum poſt acceptа mandata deſcendens ex monte vitulum aureum vidiſſet coli à populo, *tollens vitulum quem fecerant combuſ-*

*ſit eum igne, & comminuit eum in puluerem, & ſpargens in aquam potum dedit filijs Iſrael.* Exodi. 32.

hoc etiã æmulatus eſt Dæmõ in Zoroaſtre, vt ſub hoc pallio (etſi ficto & vmbratili) quamdam arcanam & veram religionem innueret. nam & ſtatuarum reprehenſionem fuiſſe ex inſtituto magorum & Zoroaſtris eorum principis expreſſit Laërtius in proæmio ſui operis. Laert. l. 1. c. 1.

*Magos* (inquit) *Deorum vacare cultui, ſigna ſtatuasque reprehendere* qui etſi vnicam Mithrę ſtatuam colerent, (vt mox dicetur) eam tamen tenebant in abdito.

Moſes & caſtè vixit, & poſtquam vaticinij lumine à Deo donat⁹ eſt abſtinuit deinceps à cõiuge. Zoroaſtres perſicus D. Epiphan. hareſi. 78.

(de quo loquimur) magna caſtitatis fama apud Perſas diem obijt.

Quid igitur? ſiccine Dæmon colores fictos & vmbratiles pro veris ſcite applicans homines fallet? nequaquam ſanè? fingit quidem & mire pingit in ſuis vatibus quia vt loquitur Auguſtinus *transfigurat ſe velut in Angelum lucis, & miniſtros ſuos velut miniſtros iuſtitiæ.* Sed eorum vitæ integritas ad mortem quæ ſubſequitur tamquam lydium lapidem examinata falſitatis conuincitur. Illorum vita mendaci ſuperficie ſanctitatis, falſo ſancta: mors quæ ſequitur vere eſt tragica & horrenda. Operę pretium eſt id intueri in Zoroaſtre cuius vitam

*li. 2. ad ſimplicia nu. q. 3.*

cum ea Moſis ideo contuli, vt quam impar amborum mors ſubſequuta ſit hic inſcriberem. In morte Moſis tria ſunt admiranda. *Primo* ita efflauit animam & tam placide finito Dei colloquio in monte, vt ſcriptum ſit in Deuteronomio *mortuus eſt Moſes ſeruus Domini in terra Moabiuxta os Domini.* Deuter. c. 34. Secũdo etſi obierit annos natus centum & viginti, & in ſenibus oculi & dentes deficiant obiit tamen ſanis oculis, dẽtibus integris ſenio viridi. *Nec caligarant eius oculi nec maxillæ defecerant.* Tertio ſepultus eſt ab angelis, & quidem in ſepulchro quod nulli hominum eſſet cognitum: quomodo autem obierit Zoroaſtres vatum Dæmonis

Primipilus, horrendum eſt & ſane horreſco ipſemet inter ſcribendum. *Zoroaſtres* (inquit) D. Clemens in itinerario D. Petri) *Mezraimi Chami filius fuit, qui magicæ artis tradidit diſciplinam, hic aſtris multum & frequenter intentus cupiens apud homines Deus haberi, velut ſcintillas quasdam ex ſtellis producere, & hominibus oſtendere cæpit, quo rudes in miraculi ſtuporem traherentur, deſideranſque augeri hanc de ſe opinionem, ſæpius iſta moliebatur, vſque eo donec ab ipſo Dæmone quem importunius frequentabat ſuccenſus igni cremaretur: ſed homines ſtulti, qui quam de eo conceperant, abijcere debebant opinionem, quippe quæ mortis pœ-*

D. Clemens li. 4. recognitionum.

*na confutata eſſet, in maius extulerunt, & tanquam amicum Dei ac fulminis in cælum vehiculo ſubleuatum adorare cæperunt, & quaſi aſtrum viuens colere hoc eſt ζωον ἄστρον, atque ob eam rem demum qui fumine interiſſent, honorant quaſi amicos Dei.* Pſeudoprophetarum & vatum Dæmonis Coryphęi hic fuit exitus, & ita ſanè debeat occumbere qui primus diſciplinam magicam inſtituerat è lapſu facium & ſulco flammarum è cælo cadentium, quæ lues ad Aſſyrios & Chaldæos ſtatim obrepens tam miſere graſſata eſt, vt paſſim non modo flammas ex Aſtris ſed ipſamet Aſtra è cælo deducere arte magica ſtuduerint: Hinc Lucanus de his loquēs,

Lucanus l. 6. ——*Illis & ſydera primum*
*Præcipiti deducta polo.*

Et Tibullus.

Tibull. lib. 1. *Hos ego vel cælo deducere ſidera vidi.*

Longius deinde ſerpſit cõtagium à Chaldeis ad Theſſalos, qui profecto lunatici ad lunam magicis cantilenis cęlo euocandam animos appulere, hinc facete Martialis.

*Theſſalico lunã deducere rhõbo*

& Claudianus.

Martia. l. 9. epigramm. 30 *Theſſalidas patrijs lunare venenis inceſtare iubar.*

Claud. de Bell. getico. & non ſine lepore Poëtico Statius.

*Attonitisquoties auellitur aſtris*
*Solis opaca ſoror.*

& quia Dæmon de more habet mulierum potius animos quam virorum inuadere ob fragilioris ſortem na-

turę. In Theſſalia pręſertim mulieres hãc magicem exercebant, hinc ait Plato in Gorgia τὴν σελήνην καθαιρούσας τὰς Θετταλικάς id eſt, lunam deducentes Theſſalas non vero Theſſalos. Nec tamen reliqua Gręcia libera fuit ab hoc contagio, Hyppocrates libro περὶ ἱερῆς νόσου nihil etiam apud Coenſes crebrius fuiſſe innuit quam σελήνην καθαιρειν, καὶ ἥλιον ἀφανίζειν .i. Lunam deducere & ſolem obſcurare, Sed dicet aliquis; luna poteratne à cælo deduci arte magica nõne eam in cęlo poſuit Deus *vt præeſſet nocti*? Aſtra in ſuis ſphęris (tamquam claui in rota) à ſummo rerum omnium fabro tam affabre fixa, poſſunt ne tam facile ab his aueIli? Obiectio

*Hyppocrat. lib. de ſacro morbo.*

*Gen. 1.*

ſanè non ſpernenda: Cui ſatisfaciendum reſponſo à Theologis mendicato: non enim putandum id Dæmoni à Deo conceſſum vt turbato naturæ ordine à ſuis Sphæris Aſtra traheret. Sed trahebantur hoc eſt trahi videbantur præſtigiis & illuſionibus quæ tribus modis poterant fieri, vel circa organum viſus, vel circa medium vel circa obiectum. Nam Dæmones (ex D. Dionyſio in epiſtola ad Polycarpum) motum cæli variare non poſſunt quia hoc ſolius eſt Dei.

Hæc ars ſeu magia ex Aſtris Aſteroſcopia dicta, quam quia poſt Zoroaſtrem exercuere Chaldęi, ideo illis potiſſimum attri-

buta

buta est. Asteroscopiæ quadam speciem etiam hodie exercēt aliqui qui ex astris futura prænuntiant. *Impium genus hominum, qui quæ solius Dei sunt, tribuunt Astris, & nos liberos natos siderum seruos faciunt.* Isidorus.

Hæc prima lues qua Zoroastres Persicus gentes infecit, videndum iam qua doctrina persas imbuerit, & quæ prȩcipua fuerit eius magia.

---

## *QVAE FVERIT PRIma doctrina Zoroastris apud Persas & Assyrios.*

### CAP VII.

QVæ fuerit prima doctrina qua nequam Zo-

*Plutarch. l. de Iside.*

roaſtres Perſas imbuerit, non omnes idẽ ſentiunt, ait enim Plutarch. eũ tres Deos conſtituiſſe primum *Oromazon* bonũ Altetum *Aramanum*, malum: illum luci, hũc obſcuritati ſimilem tertiũ vero μεσίτην quem mithram appellauerit. Agathias vero vbi de Perſarũ moribus & religione eos ait duos tantum Deos credidiſſe, quibus & barbara nomina pro ſua lingua impoſuerint, bonum namqu Deum (inquit) *Ormiſdatin* dixerunt *Arimenem* vero pernicioſum ac malum. vt cumque. Ex his cõſtat quã ſit induſtrius dolorum artifex dæmon, nam & religionem inſtituit & diuinos honores ſibi aſciſcit, ſed ſane cautela adhibita & Philoſo-

*Agath. l. 2. hiſt.*

phia ſe enim non abſolutè Deum ſed malum Deum primo prædicat primis ſui cultoribus à quo Paradoxo Zoroaſtris ore apud Perſas & Aſſyrios promulgato fluxit deinde Manichæorum hæreſis & delirium qui duo principia & duos Deos ſtatuebant, vnum bonorum authorem, alterum malorum. Quamobrem Agathias & Plutarchus conciliandi ſunt: nam Perſæ primo ex Zoroaſtris ſententia duos tantum Deos colebant, vnum bonum quem *Ormiſdatim* ſeu *Oromazon*, alterum pernicioſum ac malum quem arimenem ſeu Aramanum appellabant. Sed poſtea creſcente ſuperſtitione creuit Deorum nu-

merus, & tertius prædictis duobus est superadditus, quem μεσίτλω seu mithram vocarunt quæ disciplina à persis ad alias gentes fluēs (vt venenatus odor & pestifer longe funditur) tam vberi fænore & prouentu exercuit, vt quædam triginta millia et crediderint & coluerint. Sed ab eius doctrina ad eius magiam transeo.

*Aenaeas l. de falsitate oracul.*

---

## *ZOROASTRIS Magia in mythræ sacris. Dæmonis Mimica in his sacris, Dei Sacramenta æmulantis.*

### Cap. VIII.

NEc priores magiæ ritus nec subtiliores inue-

nio, quam qui à Zoroaſtris in antro perſidis inſtituti ſunt. Colebatur in primis Dæmon ſub quodam mithræ nomine, & in ſpelunca ad maiorē quaſi numinis terrorem ( vt ſuprà dixi ) *Primus Zoroaſtres* ( inquit Porphirius ) *apud perſas, vt narrat qui mitræ hiſtoriam multis voluminibus ſcripſiſſe traditur Eubulus naturalem ſpeluncam & fontibus ſcatentem in proximis perſidis montibus conſecrauit in honorem rerum omnium auctoris parentiſque mitræ, vt per ſpeluncam quidem mundum ſignificaret fabricatum à mitra, per alia verò quædam intus congruis interuallis diſpoſita, elementa & plagas mundi delinearet.* Fruſtra tamen ſe torquent plurimi in explican-

*Porphyr. in commentario autri Nymphar. ex 13. Odiſſ.*

dis huius ſpeluncæ myſteriis, cum enim Zoroaſtres horum inſtitutor, aſtrorum obſeruatione delectaretur, ex ijſdem ſcintillas eliceret, ipſamque Aſtrologiam Dæmonis adminiculo didiciſſet, huius magiæ virulentiã ſub quibuſdam arcanis Philoſophiæ & Aſtrologiæ ſimulachris occultauerat. Speluncam ingredientibus apparebant prima fronte planetarum typi luculento ritu expreſſi, vt teſtatur Origenes aduerſus celſum, Verba ipſiuſmet Celſi adducẽs. *Hæc quidem* (inquit) *Perſarum diſciplina oſtendit, & mithræ ſacra quæ apud eos ſunt in his duplex circumactio ſtellarum prætenditur. fixarum, errantiumue, & per has animæ tranſitus.*

*Origenes lib. 6. aduerſus Celſum.*

*Cuius in rei argumentum ſcala erigitur altior, in ea ſeptenæ ſunt portæ, ex plumbo prima, ſecunda ex ſtanno, tertia ex ære, quarta ex ferro, quinta ex numiſmatis corio, ex argento ſexta, ſeptima ex auro. Primam ſaturni eſſe ſtatuunt plumbo aſtri tarditatem ſignificante. Veneris ſecundam, cui & ſtanni quùm ſplendorem tum mollitiem comparant: tertiam Iouis, Vt æreis gradibus ſolidiſſimam: mercurij quartam, operum enim omnium & negotiorum tollerantiſſimum, lucraque factitantem, callidum inſuper eloquentem mercurium dicunt: martis quintam ob inæqualem admixtionem & variã: ſextam Lunæ argenteam: Solis ſeptimam quæ aurea ſit* Mithræ denique ſimulachrum in ipſo antro appoſitum, rete-

rebatur ad Aſtrologiam: etſi varij varie illud delineent. Lutatius ſtatij interpres explicans hos verſus thebaidos.

*—— Seu perſei ſub rupibus antri*
*Indignata ſequi torquẽtem cornua mithram.*

*Lib. 1. Thebaid.*

*Torqnentem cornua* (inquit) ad illud pertinet quod ſimulachrum eius fingitur reluctantis tauri cornua retentare eſt enim (inquit) in ſpeleo ſol perſico habitu cum thiara & vtriſque manibus bouis cornua comprimens: quæ interpretatio ad lunam dicitur, nam indignata ſequi frontem occurrit illi & lumen ſubtexit, ſol enim lunam minorem potentia ſua & humiliorem

docens taurũ insidens cornibus torquet, quibus dictis lutatius bicornẽ intelligi voluit nõ animalia quibus vehitur. Hæc lutatius statij interpres. Porphyrius tamen loco supra citato ab eo dissentit, & quod ille ad lumen lunæ, ipse ad æquinoxium refert, atque mithræ simulachrum habuisse ad manus gladium, tauro quidem insidens, sed non eius cornua cõprimens, & hunc gladiũ scite applicans æquinoctio quòd & aries sit martiũ animal, mẽsis Martij signum, & domus æquinoctij, *quapropter* (inquit) *gladium fert Arietis qui martium animal est: inuehiturque tauro venereo, quod scilicet Vt taurus sic & mithra generationis do-*

*In comment. antri nymph.*

*minus ſit.* Vtcunque. latebat anguis ſub foliis, vt ex dicẽdis patebit adhuc multo clarius. Porphyrio tamen meum in hac re calculum libentius daré, cum in re magica mẽgis potior habenda ſit fides : at Porphyrium magum fuiſſe teſtantur & eius ſcripta & odium quo in chriſtianos flagrabat, quorum religionem non amplius duraturam quam trecentos & ſexaginta annos nequam ille affirmabat. Denique hanc mithræ ſtatuam habuiſſe ad manus gladium (vt ait Porphyrius) apparet ex primo ritu quo magi initiabãtur in his ſacris: horum enim candidato dabatur in primis gladius quaſi

in ſignum martyrij, vt do-
ctè & luculenter expreſſit
Tertulianus in ſuo de co-
ronis opuſculo, *mithræ miles*
(inquit) *dum initiatur in Spe-*
*læo in caſtris vere tenebrarum*
*coronam interpoſito gladio ſibi*
*oblatam quaſi munus martyrij*
*ſuſcipit*, ſecundo (quod etiã
ſcitu dignum) initiari vo-
lens poſt acceptũ gladium
variè cruciabatur: vt refert
ſuidas in hęc verba, *Mi-*
*thram* (inquit) *exiſtimant*
*Perſæ ſolem eſſe cui & multas*
*conſecrant hoſtias neque quiſquã*
*eius ſacris initiari poteſt niſi per*
*quosdam gradus conuitij quibus*
*oſtendat ſe & ſanctum nec per-*
*turbationibus affici* qui autem
fuerint hi gradus conuitij
fuſius explicat D. Grego-
rius Nazianzenus, & ſuidæ

*Tres vi-*
*tus quo*
*initiabã-*
*tur Mi-*
*thræ an-*
*tiſtetes.*

*Ius.*

*Ius.*

*Suidas*
*in frag-*
*mentis.*

*l. 2. in Iu-*
*lianum.*

quasi lucem affert, *Mithra* [inquit] *id est Sol cui celebritates fiunt & in primis à Chaldæis, cui Deo qui volunt initiari duodecim contumeliis afficiuntur per verbera, calorem, frigus & alia huiusmodi.* O quam præclarum pro Christo cõtumeliam pati, cum tot fuerint qui pro Dæmone cruciari gloriati sint. tertio & vltimo [quod magis stupẽdum] initiari volentis fronti stigma inurebatur, qua de re intelligendũ illud Tertuliani supra allatum *initiat Mithræ signat illic & in fronte milites suos,* Quæ Tertuliani verba etsi quibusdam visa sint nonnihil obscura, ea tamen sic debere intelligi docet Diuus Gregorius Nazianzenus inuectiua prima

*Lib. de præscript. hæreticor.*

in Iulianum, dum ea mithrę ſtigmata vocat *inuſtiones myſticas*.

Dixi (quod magis ſtupendum) hic enim Dæmonis Mimicam quis non videt? ſignabantur Dei ſerui in veteri lege, ſignantur & hodie baptiſmi ſignaculo indelebili. Dei ſimiol' ſuos etiam ſignare voluit. Quæ ars Dæmonis ſuos ſeruos ſignãdi à magia zoroaſtris ad alias fluxit. Deæ ſyriæ Aſtartes ſeu Aſtergatis ſacerdotes ferro pariter ſe inurebant in carpo manus aut in ceruice: cuius rei teſtis lucianus in ſuo περὶ συρίης θεοῦ dialoguo στίζονται δὲ πάντες οἱ μὲν ἐς καρπόν, οἱ δὲ ἐς αὐχένας. peritiores artis magicæ & chariores ſuo Dæmoni qua-

*Dæmonis Mimica.*

dam nota ab ipso impressa Signatos fuisse compertum est. Epimenidis malefici corpus multis incisum characteribus post eius obitum inuentum fuisse prodit Hesychius. Pythagoras Abari familiaris & coætaneus, & magus pariter (vt videbitur) aureum characterem impressum gerebat in femore, vt ab Iamblicho, relatum est in eius vita. Quod nuperrimè dum legissem, exinde cæpi intelligere hæc Laertij verba in vita Pythagoræ, quę antea non intelligebam. *Nudatum aliquando eius femur aureum apparuisse fama est.* Nam hoc quidem refert Laertius sed non explicat.

*Hesych.* περὶ σοφῶν.

Iamblychus vero quia magicæ artis peritus, hanc rem magicam & intellexit & exposuit, etsi tamen sub ambage & verborum circuitione obscura. Magnum enim erat piaculum arcanæ Philosophiæ vulgare mysteria (sic magiam vocabāt) Hic mos Dæmonis suos signandi famulos etiam hodie durat, magis enim & veneficis inter dum notas imprimit, vt aliquando visum in multis. *Laertius lux ex Iamblicho.*

Hæc quoad ritus quibus initiabantur mythræ antistites sufficiant in præsentia. Sed sacrificiū quod fiebat in hoc specu adhuc scitu dignius: In hoc enim sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium Dæmonem Mi-

mice æmulatum tradunt ſeptimius & Iuſtinus martyr, quod ſane nec crederem nec ſcriberem, ſi tantorum virorum authoritas me ad id tacito non aſtringeret. Sic enim hac de re ſeptimius, vbi poſt illud ſupra allatũ, *ſignat illic in fronte milites ſuos* ſubiungit ſtatim, *celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit*. & Iuſtinus martyr multo clarius, nam poſtquam de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ pane & poculo fuſe locutus eſt, ſubiungit ſtatim, *Quod quidem etiam in myſteriis atque initiis mithræ fieri docuerunt per imitationem praui Dæmones. Quod namque Panis & poculum aquæ in Sacrificiis ſiue re diuina eius qui initiatur, pona-*

*Septim. Tertullianus lib. de præſcript.*

*Iuſtinus martyr in orat. ad Anton. Pium.*

tur verbis quibuſdam. additis μετ' ἀιλόγων τινῶν, aut certe ſcitis aut cognoſcere poteſtis. Idem inculcat in Dialoguo de veritate Chriſtianę religionis, ibique afferens Eſayæ vaticiniũ *Hic habitabit in excelſo ſpecu Petræ fortis panis dabitur ei & aqua eius fidelis* ad æmulationem huius vaticinij ait Dæmonem & voluiſſe coli in ſpecu & ſibi panem offerri, atque ita quæ de Chriſto ab Eſaya dicuntur æmulatum. Quærunt aliqui vnde tam ſublime myſteriũ Dæmoni potuerit innoteſcere, Deum *innotuiſſe* quidẽ *Dæmonibus quantum voluit*, vt monet Auguſtinus, ſed ſublimiora myſteria tenuiſſe abſtruſa conſtans opinio eſt. Reſpondent Iuſtini marty-

*Eſayæ 33.*

*Auguſt. 11. de ciuit.*

ris deffenſores, Dæmonem multa ex ijs potuiſſe intelligere ex ſacris paginis, non quidem perfecte ſed imperfecte, & tacito. & cum in ſpelæo tam prædictum vaticinium quam regis Melchiſedech oblationē effiinxerit, ſacroſanctam chriſtianorum Cynaxim tacito æmulatum, quam oblatio Melchiſedech præfiguraue-

*Hieronymus ad marcellam.*

rit, nam vt ait Hieronimus *recurre ad geneſim & Melchiſedech regem ſalem principem inuenies ciuitatis, qui tunc in typo chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium chriſtianum in ſaluatoris ſanguine & corpore dedicauit.* At Dæmon in hiſce ſacris mithriacis regis Melchiſedech ſacrificium ita adumbrauerat, vt ex ſacro-

rũ inſtituto rex ipſe Perſarum offerre deberet poculum, quem morem præſtrinxit Claudianus his verſibus. *Claud.*

——— *Rex ipſe micantem*
*Infundit dextra pateram, ſecretaque pelli,*
*Et vaga teſtatur voluentem ſydera mithram.*

Quo die ait Duris apud Atheneum licebat regi ad ebrietatem bibere.

Carpet fortaſſe quiſpiam? quæ hic inſero ſed en Tertuliani verba id expreſſe aſſerentia. *Diabolus*, inquit, *cuius ſunt partes interuertendi veritatem ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum, in idolorum myſteriis æmulatur*, non poſſum tamen quin hic mirabundus ſubſiſtam? Dæ- *Lib. de ſcript. hæretic.*

mon Auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum tot ante annos ſubodoratus eſt: & huiuſce ætatis hęretici tanti miſterij veritatem tòt editis miraculis propagatam pertinaci animo reſpuunt.

Sed vt vnde diggreſſus ſum redeam. *Vt ſimia ſemper ſimia*, Dæmon etiam hodie chriſtianorum ſacra miris modis æmulatur. In inſula Iaponia quidam humana forma Dæmones qui *quoqui* dicuntur ab incolis, præſto ſunt peregrinis in itinere, & ab eis in ſtateram prius conięctis confeſſionem peccatorum extorquent. Qua de re fuſius infra, vbi hęc fraus & cur magi quibuſdam verbis deſumptis ex ſacris pa-

*Maphæ. in epiſt. indicis.*

ginis hodie vtantur, enodabitur. Dixi de doctrina & magia Zoroastris, dicendum iam de eius æmulis & discipulis.

---

## *PRIMORES MAGI exemplo Zoroastris manent in speluncis mentiendæ sanctitatis gratia.*

### Cap. IX.

T Zoroastres sua sacra magica in specu instituerat in cuius recessu degebat, magi qui deinde secuti quasi æmulo eius studio in specubus plerumque vixere. Epimenides insi-

gnis ille maleficus, cuius corpus magicis vndequaque respersum maculis post eius mortem inuentũ est, in spelunca cretæ insulæ multos annos commoratus est: & inde nata hęc vulgi fabula, eum, cum missus esset à patre vt ouem rure deduceret, æstu meridiano diuertisse in specum, vbi captus somno 77. annos dormiuerit. Antrum nympharum, de quo homerus, nihil fuit aliud quam subterraneum quoddam maleficarum domicilium. Nymphæ cytheronides, de quibus Pausanias in bæoticis, erant quædam mulieres seu lamiæ quæ in recessu huius antri suam magicem exercebant. Idem recenset Phrygion

*Homer. 13. odyss. & porphyr. in commentar.*

*Phryg. in chron.*

de primis europæ Ariolis. Nicoſtrata euandri mater quæ multo ante Romulum in Italiam venerat, carmentis dicta quod ſua vaticinia verſu ederet, in ſpecum Auentini montis conceſſit. Fatua fauna quæ prima in latio mulieribus fata cecinit, & inde fatuæ nomen traxit, vt ſupra dictum eſt, in cuiuſdam ſyluæ ſpelunca ſemper ſtabat, ideo ſcribit Varro eam tantæ pudicitiæ fuiſſe, vt nemo eam quoad vixerit præter virum ſuum mas viderit nec nomẽ eius audierit, ſed Varro communem vulgi ſenſum hic ſequitur, nam profecto ſubtilis illa venefica ex hoc viuendi ritu pudicitiæ famam aucupans, intus baccho &

Veneri indulgebat. Refert enim ſextus Clodius fauni hanc vxorẽ fuiſſe quæ quia contra morem decuſque regium clam vini ollam ebiberat, & ebria facta fuerat, virgis myrteis à viro vſque ad mortem cæſa, poſt ea vero cum cum facti ſui pæniteret, & deſiderium eius ferre non poſſet, diuinum illi honorem detuliſſe. Idẽm etiam mox videbitur in Pythagora, Druydis gallorum, multiſque alijs qui ſibi Zoroaſtrem tamquam vitæ exemplar ob oculos poſuere. Hoc autem agebant hi malefici nõ tantum obiiciendi horroris & mẽtiendæ ſanctitatis gratia, ſed vt inſani ea ætate homines eos crederẽt in his ſpecubus

*Lactantius lib. 1. c. 22.*

cubus cum Deo habere colloquium. Hoc astu & commento vsus est Minos vt suas leges & firmius stabiliret, & quasi adhibita religione cretensibus commẽdaret. Erat quoddam antrum in luco insulæ, antrum Iouis vocabant, in illud Minos se recondebat, & ibi diu moratus leges tãquam sibi à Ioue traditas afferebat. Quod & antea in eadẽ cretæ insula feciſſe Rhadamantũ testatur strabo *Minos* (inquit) *Cuiusdam antiquissimi Rhadamanti imitator extitit. Is posita in medium decreta ab Ioue ea ferre cõmentabatur. Hunc igitur sectatus Minos nouem per annos, vt aiunt, Iouis antrum conscendebat, ibique diu immoratus descendebat, constructa* Strabo lib. 10. & 16.

*quædam tenens mandata, quæ consulta & sanctiones Iouis esse differeret.* Vnde homerus vbi de hac insula.

——— ἐνδάτε μίνως
ἐννέωρος βασίλευε διὸς μεγάλου ὀαριστής,

⊙ diff. T.

——— *Vbi minos*

*Nouem regnauit annos magni*
*Iouis confabulator.*

Pari deinde commento vsus est Numa Pompilius simulans cum Dea egeria nocturnos se habere congressus, quem alium Zoroastrē fuisse & Italiam infeciſſe (vt ille Persidem) infra exequar.

# MAGORVM SECTA a Zoroaſtre Perſico inſtituta, eorum vita, veſtis & ficta integritas.

## Cap. X.

HAVD exceſſit è viuis Zoroaſtres ſine hæredibus, ad quos ſua dogmata ſeu portenta quaſi hæreditario iure tranſmiſerit. Hi autem fuere Perſarum magi qui & eorum vates, ſacerdotes & Philoſophi habebantur: qui præfecto Zoroaſtris vitam doctrinam & mores enixiſſime *Laertius li. 1. c. 1.*

obſeruarunt.

Zoroaſtres futurorum auſpicium profitebatur. Magi Perſidis eidē rei dabāt operā de his enim ſic Laertius, *diuinationem præterea prædictionemque exercere.*

Zoroaſtres ſuperbo & elato animo diuinus inter homines haberi voluit. *Magi quoque ſibi Deos* (vt ibidem Laertius) *apparere aſſerentes.*

Zoroaſtres ignem coluit, ignem ſuſurro magico ex Aſtris elicuit, & tandem igne combuſtus eſt. Ideo magi Perſidis ignem colebant ignem in templis habebant, eratque eorum decretum, *iniquum arbitrari atque impium igne ſepelire.* Inde non iniucunde Xerxes Perſarum rex cum in græciam tranſijſſet, græcorum ſta-

*Laert, ibidem.*

tuas & ſimulachra comburens, ignem magorum Deũ verum eſse Deum aſſeruit, cum alios Deos deſtrueret. Sed (proh dolor) Dæmon ſæuire volens in homines quam rite orditur : ab hac ignis latria eò immanitatis proceſſum eſt apud Perſas & Aſsyrios, vt non tantum ignem colere ſed & liberos in igne conſecrare eſſet religio. Cuius rei teſtimoniũ nõ aliunde emẽdico quã ab ipſamet ſacra hiſtoria Poſtqu· Aſsyriorũ rex Salmanaſar ¦expugnata armis ſamaria cõtra hoſeã regem Iſraël Aſsyrios colloca ſſet in ciuitatibus Samariæ *qui erant de Sepharuaim* (Aſsyriorum eſt regio) *comburebant filios ſuos igni* quare ira· 4. Reg. c. 17.

tus Deus immiſit in eos leones qui eos enecarent. Imo eodem cap. 4. regum, inter ſcelera populi Iſraël, ob quæ Deus eos afflixerit, illud ponitur, & *conſecrarunt filios ſuos & filias ſuas per ignem, diuinationibus inſeruientes & auguriis.* Tetra hæc lues ab Aſsyrijs ad Iudæos effluxerat (erat enim inter ambos ſocietas) qua & infectus rex Achas qui ante Hoſeá regno potitus eſt, filios concremarat. *Viginti annorum erat Achaz cum regnare cæpiſſet: non fecit quod rectum erat in oculis Domini. Is etiam adoleuit incenſum in valle hinnam, & concremauit filios ſuos igne iuxta abominationes gentium* & poſt Achaz, rex Manaſſes de quo proditur

2. Para. lib. cap. 28.

in eadē hiſtoria, & *traduxit* 4. Reg. c.
*filiū ſuū per ignem.* Ecce quid 21.
Zoroaſtres & eiº diſcipuli in
Aſſyrios Perſasq. inuexerīt.
Pergo ad reliqua. Zoroaſt.
aſtra etiam coluit, ignem ex
his elicuit, & ſub quibuſdā
Aſtrorū typis ſuam magicē
occultauit.. Magi Zoroa-
ſtris diſcipuli Aſtra etiam
coluere, Solem & Lunam
Deos eſſe dixere, quæ do-
ctrina à Perſis & Aſſyrijs pa-
riter ad Iudæos tranſierat,
nam & eodem capite ſupra
citato libri quarti regum in-
ter ſcelera populi illud &
ponitur, *adorauerūt uniuersā*
*militiā cæli ſeruieruntque Baal,* 4. Reg.
& inter Manaſſis facinora, c. 17.
*adorauit omnem militiam cæli,*
*extruxitque altaria uniuerſæ* Ibidem.
*militiæ cæli in duobus atriis tem-* c. 21.

*pli domini* & quia hic Aſtrorum cultus coniunctus erat cum magia, ſtatim ſubiungitur, *Ariolatus eſt, obſeruauit auguria, inſtituit Pythones.* Hæc fuere Magorum dogmata, ex Zoroaſtris diſciplina. Eorum vero vita ad eiuſdē Zoroaſtris æmulationem lepida ſane eſt.

Zoroaſtres aſpere vixit, caſeo plerumque victitans (vt iam dictum eſt) magi Perſidis Zoroaſtris exemplo caſeo pariter veſcebantur, & eo veſci gloriabundi, caſei portiunculas in apice Arundinis circumferebant. Qua de re non iniocunde Laertius, vbi de horum veſtitu & victu. *His autem* (inquit) *veſtis candida, lectus humus, eſca Olus,*

*caſeus paniſque cibarius eſt, Arundine pro baculo vtuntur, cuius in ſummitate præfixum caſeum ori applicantes mandunt.* Laertius lib. 1. c. 1.

Erat in votis Zoroaſtris vt ſimulata Sanctimonia homines falleret? & quorſum hæc Magorum Perſidis, *veſtis candida lectus, humus, eſca olus*, niſi vt ſub Catonis vultu Neronis animum tegerent? & quod ita ſit, eorum pectora externo Cultu caſtitatem Oſtentabant, intus vero venere de peribant, habebantque in decretis *iuſtum matrimæ filiæ miſceri* vt in vigeſimo tertio ait ſotiõ. Laertius ibid.

Incepi a magis Perſidis quia nec fuere vetuſtiores vt ſaris indicant hæc Laertij verba, *a magis quorum principem fuiſſe Zoroaſtrem*

*Perſem memoriæ proditum eſt, hermodorus Platoncus uſque ad excidium Troiæ annos quinquies mille computat.* (licet in temporis Chronologia allucinetur Laertius & annos quinquies mille computet, vbi vix trecenti ſupererant) Denique quot a Perſide in alias nationes cum magia tranſierit Philoſophia. Itaque a magis ad Chaldæos tranſeo.

# DE CHALDAEIS

## *Assyriorum Philosophis & Maleficis.*

### CAP. XI.



AVD fuit discrimen inter Chaldæos Assyriorum & magos Persidis, hi enim si non Zoroastris discipuli saltem fuere æmuli: Denique Astra vt magi coluere, vnde nata opinio eos Astrologiam inuenisse. *Chaldæi* (inquit Diodorus) *Babyloniorum antiquissimi fuere qui eum locum in sua republica obtinuerunt, quem Sacerdotes in* *Diodorus siculus. l. 3.*

*AEgypto. Ad cultum enim Dei deputati per omnem vitam ſuam Philoſophantur, peritiſſimi Aſtrologiæ habiti.* Aſtrologiam intelligit magicam & fatiloquam, quam primi adinuenere, vt ineptiis & erroribus, hominum mentes inuoluerent? quid enim niſi ſomma? humanos caſus ex Aſtris pendere & nos liberos natos ſyderum ſeruos eſſe.

*Spirat enim maiora animus, ſeque altius effert*

Prudent. 2. adu. Symmac. *Syderibus, tranſitque vias & nubila fati.*

Ob ſimiles cantilenas, & aliquot ſacra exinde iuſſa. Tiberius Chaldæos & Mathematicos vrbe expulit: nã & hæc magica Aſtro-

logia ſæpe vſus eſt Dæmõ ad ſæuitiam & ſanguinem, vt teſtatur Tranquillus vbi de hac ſtella crinita, quæ ſub Neronis Imperio per aliquot noctes oriri cæperat. *Nero* (inquit) *anxius eare vt ex babilo Aſtrologo d'dicit ſolere regestalia oſtenta cæde aliqua illuſtri expiare. Atque a ſemet in capita procerum depellere, nobiliſs'mo cu'que exitium deſtinauit.* O cœcas hominum mentes ante Chriſti aduentum ,. Qui Mathematici & Philoſophi habebantur, Dæmonis erant famuli? dicet aliquis? noua narras, ſed quod aſſero mox oſtendam, in reliquis veterum gentium Sacerdotibus & Philoſophis, vt videlicet Gymonſophiſtis Indorum, *Tranquil in Neronec.* 36

Gallorum Druydis, & Ægyptiorum Hierophãtis, de illis patet nam & Cicarchus ſolenſis in libro de diſciplina Gymnoſophiſtas a magis fluxiſſe aſſerit, & eorum venus in Propatulo ad inſtar canum ſatis nota eſt. De reliquis idem patebit ex mox dicendis.

## DE HYEROPHANTIS Ægyptiorum Philosophis Zoroastris æmulis & maleficis.

### CAP XII.

EAdē fuit istorū Philoph. hinc recte Iustinus Ægyptiorum disciplinā magicas dicit fuisse artes, & quod multi de Platonis & Pythagoræ nauigatione ad Ægyptum vt Theologiam addiscerent, Plinius ad magiam refert. *Certe Pythagoras* (Inquit) *empedocles, Democritus, Plato ad hanc discen-*

*Iustin. l. 36.*

*dam nauigauere, exiliis verius*
Plin. l. 30. c. 1. *quam peregrinationibus ſuſce-*
*ptis. Hanc reuerſi prædi-*
*cauere, hanc in Arcanis ha-*
*buere*: Quorum fidem confirmant hæc verba Iuſtini martyris libro reſponſionũ ad quaſdam Chriſtianas quæſtiones, *AEgyptiorum*
Quæſt. 25. (Inquit) *eo tempore ſapientiæ impoſturæ tradidit diſciplinas.*

Itaque tegebatur maleficium ſub ſapientię nomine.

Cæterum vt Zoroaſtres ſub quibuſdam Aſtrorum typis (vt ſupra viſum eſt) ſic iſti ſub quibuſdam literis hieroglyficis ſuam magicẽ recõdebant, a quibus Hierogrãmatei & Hierophantæ appellati ſunt.

*In ſaxis tantum duris, volu-*
Lucanus. *creſque feræque*

*Scriptaque ſeruabant magicas animalia linguas.*

Quæ cur referrent animalia (vt canit poëta) & quomodo in his Dæmon ſe ſub ſerpentè deſignauerit, dicetur infra, vbi de Oraculo ſerapidis erit ſermo. Quamobrem Iuſtinus martyr libro ſupra citato queſtionẽ mouens de moſe eò quod ſcribatur actorum 7. eum eruditum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum, diſtinguit de ſapientia, aitque moſem quidem Aſtronomiam & Geometriam calluiſſe, (quæ erant Ægyptiorum diſciplinæ) nequaquam vero eorum literas hieroglyficas quod ex præſcripto Dei inſtitutæ conſuetudini repugnarent. Et

ad Hebr. 11. Origenes ( vbi de cubito Geometrico ) asserit non frustra scripturam dixisse quod moses omni sapientia Ægyptiorũ instructus fuerit : qui Geometriam dilexerint.

Reliquos mores Zoroast. etiã æmulati sunt, manẽbant in specu vt ille, albas etiam vestes ferebant vt Zoroastris discipuli teste herodoto, *Sacerdotes* ( Inquit ) *linea ferunt vestimenta semper recens abluta : huic rei semper vacantes*, hinc lepide dicti ab Apuleio *linteæ vestis candore puro luminosi*. Sed profecto dum sermo est de Zoroastris æmulis & de his qui sub pallio Philisophiæ homines decepere, Occurrit miser Pythagoras & quam miserè

Strab. li. 16.

Apul. l. vlt. metamorph.

ipſi ceſſerit Zoroaſtris doctrinæ ſe inſcripſiſſe.

---

*Pythagoras Zoroaſtris Perſici æmulus, igne (vt ille) vſtulatus eſt. Ecce quam infæliciter cedat prauos & perditos æmulari.*

## Cap. XIII.

OBſtupeſco & hic magis quam antea mirabūdus ſubſiſto. Pythagoras, ille Pythagoras eruditione tam egregia, qui

ab omnibus tot encomiis celebratur: insignis tamen maleficus Zoroastrem ita coluit, vt alium non repperiam qui eius vitam & mores maiori contentione æmulatus sit.

E Zoroastris instituto mithræ sacrorum candidati ferro inurebantur, vt quodam velut stigmate Dæmonis famuli signarentur (de quo supra) Pythagoram id stigma habuisse in femore, & eius femur inde aureum appellatum supra visum est. Zoroastres quam superbo & elato fuerit animo ex dictis constat. Pythagoras quanto etiam fastu fuerit prodit Laertius, *adibant illum* (Inquit) *disciplinæ studiorumque causa & lucani &*

*Ex Iamblycho in vita Pythagor.*

*picentes, meſapi & Romani: ac ſi qui præſentia illius frui meruiſſent, ſcribebant ſuis tamquam magnum quiddam ac præclarum ſe adeptos.* Dicit autem magnum, quia nulli ad domũ aſpectumque ipſius admittebantur, quin prius probarentur, & hunc honorẽ ſæpe peterent.

Zoroaſtris diſcipulos, eorum veſtem & victium ſic deſcribit Laertius, *his autem veſtis candida, lectus humus, eſca olus.* De Pythagora idem refert idem author. Stola illi candida ſemper ac munda, ſtramentaque item candida ex lana. Obſonium illi erat vt plurimum cruda vel elixa olera.

De Zoroaſtris ſpelunca, & de magis qui eius exem-

plo in ſpecu manſere fuſe dictum eſt. De Pythagora idem refert hermipp⁹ apud Laertium cumque cum in Italiam veniſſet, ſubteraneam feciſſe domum, matrique mandaſſe, quæ contingerent tabulis inſcriberet, tempuſque adnotaret, deinde illum deſcendiſſe, ac dum rediret id matrem feciſſe: Anno autem exacto aſcendiſſe Pythagoram ex effoſſa domo ſqualidum ac macie confectum, aduocataque concione dixiſſe ex inferis ſe aſcendere, atque vt ſibi fidem facerent, recitaſſe quicquid euenisſet.

*Pytagoræ impoſtura.*

Zoroaſtres ſcripſit in ſuis libris ſe ad inferos deſcendiſſe, vt refert Clemens Alexandrinus illam fabu-

*Clem. l. 5. Strom.*

fabulam Eri Pamphilij effictam à Platone tacito explicans, nam & hunc aliumnon fuisse à Zoroastre Persico (etsi Quidam distinguant) ex multis coniecturis subodoror. De Pythagora idem prodit Laertius. *Ipse quoque* (Inquit) *scribens, ait post ducentos & sex annos ex inferis se ad homines venire,* & Paulo post, *Hieronymus vero descendisse ad inferos atque Hesiodi quidem animã columnæ æreæ vinculis adstrictam stridẽtemque vidisse, Homeri autẽ ex arbore pendentem, serpentibusque circumdatam propter ea quæ in Deos finxerant.* *Plato l. 10. de republ.*

Zoroastres arcana suæ disciplinæ ac mysteria quodam quasi velamento obduxit, Idem Pythagoras,

dicebantque eius discipuli non esse omnibus pandenda omnia.

Zoroastres quanto studio Astrologiam coluerit, & solem in suis sacris sub mithræ statua designarit, supra visum est. Pythagoras quam sedulo eidem Astrologiæ incubuerit, & quo affectu etiam fuerit erga solem, patet ex eius vitæ historia. *Vesperum atque luciferum idem sydus apud Græcos primum dixisse. Solem, Lunam, & reliqua sydera Deos esse, quippe in illis superare calorem, qui sit vitæ author.* Atque ex hoc delirio ipsum puto inter sua dogmata posuisse, *Conuerso ad Solem vultu non mingendum.* Zoroastres scripsit se alias militasse & in bello periisse,

*Laertius in eius vita.*

*Conscripsi*

*Conſcripſi Zoroaſtres Armenij gene e Ponphylius, qui in bello mortuus ad inferos deſcendi, & a Diis hæc edidici.* Eius hæc verba ſunt apud Clemetem. Pythagoras quoque aſſeruit ſe alias Euphorbum fuiſſe & a Menelao in bello occiſum. Vnde etiam patet ipſum ſuam, *metẽſichoſim* a Zoroaſtris ſcriptis traxiſſe. *Clem. Alexandrinus l. 6. ſtrom.*

Cæterum ut huic tabellæ (in qua hos perditos ſibi obuerſis frontibus pingo) extremam manum imponam, & ex hoc lineamento priorum appareat ſymetria. Similis fuitamborummors. Zoroaſttes igne ſuccenſus eſt & quidem à Dæmone quem importunius frequẽtabat vt ex Diuo Clemente ſupra retuli. Pythagoras

lib. 4. recognitio. Laertius. etiam igne perijt. *Moritur autem Pythagoras hoc modo: conſederat in domo Milonis cum ſocijs: eam vero domum quiſpiam ex his quos ille admittere noluerat per inuidiam incendit.* Debebat Zoroaſtris æmulus pari nece occumbere. Et quaſi talem vitæ exitum ipſe animo præſagiret, diuinatione ea ſola vtebatur, quæ fit per auguria & vaticinia, minime vero ea quæ fit per ignem: ſed numinis vindictam lento quidem ſed firmo gradu incedentē haud potuit effugere.

Dices? cur hos Philoſophos tam nigro carbone delineas? nonne ipſi ſapientiæ & Philoſophiæ aperuere principia, & veritatem quaſi in ima detruſam in

lucem edidere? Nuſpiam ſane, nam à veritatis ſacrario alieni non Deo ſed elementis diuina cantica cecinere. Nec mirum: cùm fere omnes magi fuerint, & ita pro Magiſtro habentes patrem mendacij: in quos ideo Dei ſpiritus per Eſaiam *Eſai. 29.* *Perdam* (inquit) *ſapientiam ſapientum*: & ſane perdidit cum Chriſtianorum inſtituit diſciplinam quę ſola vera eſt Philoſophia, non barba tenus & pallio, vt illa Græcorum, quam ſcitè carpēs Herodes Atticus apud Agellium, *barbam & pallium videt Philoſophū non videt*, non in quinquennali ſilentio, non in ſomnijs & ineptijs, ſed in ipſamet veritate, cuius præcipua laus in homi-

num charitate animique moderatione cosistit.

Hæc de Pythagora & eius studio, sed non tantũ in Græcia Zoroastres Persicus æmulos habuit, imo & in ipsa Italia, Numa enim eius vitam & mores æmulatus est, & insignis maleficus Ariolas superstitiones populum Romanum edocuit. Et quia Numa & Pythagoras ambo ex eadem schola & Zoroastris disciplinis sua traxere dogmata: hinc mota est quęstio inter authores vtrum numa præceptore Pythagora vsus fuerit refert enim Clemens Alexandrinus Numam fuisse Pythagoricum & idem etiam Augustinus Dionysius vero halicarnasseus nx-

*Clem. Alexand. l. Strom.*

mam regem ante Philoſophum Pythagorã quattuor pene ętates vixiſſe quia Numa Rom. Imp. rexit, 16. Olympiade, Pythagoras autem vixit ſexageſima quarta etſi Liuius vnã tantum ætatem ponat, *Inclita* (Inquit) *ea tempeſtate iuſtitia religioque Numæ pompilii erat. Authorem doctrinæ eius quia non extat alius falſo ſamium Pythagoram edũt, quem ſeruio Tullo regnante Romæ centum amplius poſt annos in vltima Italiæ ora Iuuenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe conſtat*, ſed authores conciliandi ſunt, nec enim putandum tantos viros temporum ſeriem ignoraſſe aut parum exacte perpendiſſe. Itaque numa dicitur Pythagoricus non quod fuerit *Liuius l. 1.*

Pythagoræ coætaneus, ſed quod ambo Zoroaſtris vitam ſequuti ſint. De Pythagora & quam male res ipſi ceſſerit iam oſtenſum eſt, de Numa ſupereſt vt oſtendam.

---

## *DE NVMA INSIGNI Maleſico, qui Zoroaſtris Perſici etiam fuit æmulus.*

### CAP. XIIII.

MAGIÆ progreſſus maior ſane eſt quam peſtis quantũuis venenatæ niſi reprimatur. Putabam

eam à Perſide tantum in Græciam tranſiiſſe, ſed ecce eodem tempore quo in Græcia etiam in Italia fæde fuſa eſt. Et quod profecto miror, Numa ille Pompili⁹, qui vt pietate & iuſtitia inclytus celebratur, alter fuit Zoroaſtres. Ille Perſas decepit, hic Romanos. Ille in antro Perſidis, iſte in antro Italiæ: erat enim quædam ſpelunca peropaca in nemore Arriano, in quam remotis arbitris ſe inferre cõſueuerat, vt mentiri poſſet monitu Deæ coniugis ea ſacra populo Romano ſe tradere.

Antrum Perſidis quod oroaſtres Mithrę dicauerat, erat prope fontes, vnde poſtea manſit religio, vt

vbicumque coleretur, antrum cum fonte eius templi loto adesset. Ab hac spelũca quam Numa in nemore Arriano elegerat, riuus perenni font e manabat.

Zoroastres ignis scintillas ex Astris trahebat (& supra visum est) numa pariter ignes & fulgura euocabat eadem arte Dæmonis, & Tullus hostilius qui postea rerũ potitus est, eius exẽplo idem moliens fulmine conflagrauit.

*Plin. l. 2. cap. 53.*

Zoroastres Persicus magorum sectam instituit Numa pariter, vnde Lucilius.

*Lucilius.*

*Terricolas lamias, fauni quas pompilijque*
*Instituere numæ.*

Vnum fuit è decretis magorum Zoroastris signa statuasque reprehendere (vt

ſupra retuli) excepta tamen vnica mithræ ſtatua, quam ipſi colebant in abdito. Numa pariter (vt notarum eſt a Clmente in ſtromatis) lege conſtituta cauit, necubi Dijs imago vlla tribueretur. Factumque ob id vt per centum & ſexaginta annos ab vrbe condita nulla prorſus Romæ aut depicta aut inſculpta Deorum imago viſeretur: excepto tamen Iani bicipitis ſimulachro quod ipſe dedicauerat, vt pacis bellique argumento in vrbe coleretur. Mithræ ſimulachrum ſolem deſignabat, quia Zoroaſtres (vt ſupra oſtendi) ſub quibuſdam Aſtrorum typis magicem occultauerat. Iani quoque effigiem pro ſole

*Clem. Alexand. l. 1. Strom.*

accipiendam esse & pro sole à Numa positam copiose probat Prætextatus apud Macrobium: erat enim hæc Iani effigies digitis ita compositis, vt adnotatione 365. dierum significationem anni & temporis designaret, ambo itaque pari ritu & paribus disciplinis homines decepere. Et sicut Zoroastres arte magica ignem eliciens à Dæmone igne succensus est: Numa etiam talem vitæ exitum expauescens lento morbo contabuit, & morti proximus testamento expresse cauit ne Romani suum corpus comburerent.

*Plutar. in Num.*

Ecce quot habuerit æmulos & discipulos Zoroastres, & quomodo eius magia sub

Religionis & Philoſophiæ delituerit. Nec præfecto tantum à Perside in græciam & Italiam craſſata eſt talis lues, nam & Druidas veterũ Gallorum Philoſophos ſub eadem Philoſophia idem profeſſos reperio: de græcis Italiſque iam dictum eſt, de Druydis veteris Galliæ ſacerdotibus & Philoſophis iam videndum.

## DE DRVYDIS VETE-rum Gallorum Philoſophis, qui & Zoroaſtris æmuli & inſignes Malefici extitere, in quorum Magia Dæmon duo præcipuè intendebat ſæuitiam & libidinem.

### Cap XV.

VTABAM ſaltem galliam fuiſſe liberam ab hoc contagio, nec virus tam longe Obrepſiſſe. Sed Druydæ veterum gallorum

Philoſophi eadem peſte infecti idem in gallia quod magi in perſide factitabant. Hinc Beroſus veterũ gallorum reges ait vt plurimũ fuiſſe Druydas & ſamothei filium qui poſt patrem regnauit magum fuiſſe appelpelatum ob ſimilem videlicet diſciplinam. Et ſane dum vtriuſque ſectæ mores confero, vtramque ex eadem ſchola fluxiſſe non ambigo.

De Zoroaſtris ſpelunca & de magis qui eius exemplo in antris vixere fuſe dictum eſt. Druydas idem etiam affecta ſſe paſſim legitur. *Docent multa* (inquit mela de his loquens) *nobiliſsimos gentis clam & diu viginis annis in ſpecu aut in abditis* Mela l. 3. cap. 2.

*ſaltibus.*

Magi Zoroaſtris diſcipuli albis veſtibus vtebantur ad ſpeciem ſanctitatis, *his autem veſtis candida, lectus humus*, vt ſupra retuli ex Laertio. Druydæ pariter vt teſtatur Plinius ritum referens quo viſcum colligebant, *Sacerdos* (inquit) *candida veſte cultus, arborem ſcandit, falce aurea demetit, candido id excipitur ſago, tum demum victimas immolant, precantes vt ſuum donum Deus proſperum faciat.* Vnde factum eſt, vt non tantum Druydæ, vates Ægypti & Perſidis æmulo Zoroaſtris ſtudio albis veſtibus ſe induerint, ſed multi exinde malefici prætextu ſcilicet ſanctitatis: quo reſpexit ſtatius in his verſibus.

*Hinc gemini vates ſanctam*
*canentis oliuæ*
*Fronde comam & niueis or-*
*nati tempora vittis.*

Statius l. 3. Theba.

Et Ouidius de puellis in ſacris Iunonis miniſtrantib⁹.

*——Sãctæ velatæ veſtib⁹ albis*
*Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.*

3. Amor. Eleg. 12.

Et ſtrabo vbi agit de Ariolis mulieribus quæ Cymbrorum exercitum ſequebantur, & ex humano ſanguine in Craterem fuſo vaticinium edebant. *Quibus* (inquit) *canus capillus erat, alba veſtis, linteæ è carboſo ſubter tunicam fibulis annexa.*

Strabo l. 9. 5. a.

Zoroaſtris magiam ſub quibuſdam typis fuiſſe abditam ſupra viſum eſt. Druydum magice latebat quoque ſub inuolucro, nē-

pe ſub viſco, quo nihil habebant ſacratius nec non arbore in qua gigneretur, ſicuti C. Plinius teſtatur, *hi enim* (inquit) *roborum lucos eligunt: quicquid etiam illis adnaſcitur, è cœlo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris, eſt autem raru admodum inuentu & repertum magna religione petitur, & ante omnia ſexta Luna*, & Paulo poſt ibidem narrans, quomodo id ex arbore non demeterent niſi ſolenni quodam ritu, *ſacrificio* (inquit) *epulisque rite ſub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, ſacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit* & ex quibus ritibus tot ſuperſtitionibus inuolutis ſat colligitur eorum magice: fuit

Plinius l. 16.

enim ea ſemper ars Dæmonis, vt per aliquam Creaturam quantumuis humilem coli voluerit ſic per fluuiũ cultus eſt a Pythagora, & per vlmum ab Apollonio, vt proditur ab Iamblicho & Philoſtrato. Sed vt a figura ad rem tranſeam. Dæmõ in eorum magice, duo potiſſimum intendebat; libidinem & ſæuitiam.

Et ſane quoad libidinem attinet: res horrenda eſt. hi enim Druydæ in his antris in quorum receſſu ſtabant, cum certo genere Dæmonum qui incubi & ſuccubi appellantur rem habebant: vnde factum eſt vt hi Dæmones a Druydis Druſij appellati ſint: nec enim aliunde vocis etymon

possum trahere, & hæc verba Augustini exponere *Multos experiẽtia magistra dicisse, sylvanos & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus, & maxime Dæmones quos Galli Drusios nuncupant*: quibus similia affert Isidorus, *Pilosi* (inquit) *qui Græcè paniti latine incubi appellantur, & incubi dicuntur ab incubando, id est stuprando sæpe improbi existunt mulieribus & eorum peragunt concubitum quos Dæmones Galli Drusios nuncupant, quia assidue hanc peragunt immunditiam*, nec refert quod in scriptis vtriusque legatur vulgo *Dusios* non vero *Drusios*, factum enim est successu temporis vt elementum R. ad facilius, pronuntiatum a voce

*D. Aug. l. 15. de ciuit. c. 23.*

*Isidor. l. 8. c. vlt.*

demeretur, & ſicut à Druydis *Druydi* poſtmodü *Druſij* deinde *Duſij* appellati ſint. Hi fuere Druydarum fædi concubitus cũ Dęmonibus ſuccubis dum in antris nemorũ, inuentutem inſtituerent ſeu potius hoc prętextu tam tetram libidinẽ Tegerent: ſed alterum quod aduerto in eorum magia non minus tetrum eſt. Viuorum enim hominum ſacrificia peragebant, ad placandos (vt dicebant) Deos; quę ob diram immanitatem Auguſtus prohibuit, Cęſar Claudius penitus aboleuit de quo Tranquillus, *Druydarum religionem* (inquit) *apud Gallos diræ immanitatis & tantum ciuibus ſub Auguſto interdictam penitus aboleuit?* & vnde hęc ſacrificia niſi in- *In Claud. cap. 26.*

ſtinctu Dęmonis, cum De⁹ in humanum genus nimis beneuolus ea ſemper & abhoruerit & lata lege inhibuerit. *de ſemine tuo non dabis vt conſecretur Idolo Moloch,* Leuit. 8. *nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.* Vbi ſanè hęc verba *ego Dominus* quaſi ad amorem & affectum videntur poſita.

Enimuero de ſæuitia Dęmonis plura infra. De veterum gentium ſacerdotibus & Philoſophis ſatis dictũ ſit. Hęc tantum dixi obiter in eorum magiam qui ante Chriſti aduentum ſub pallio Philoſophię homines decepere: vtque etiam quaſi in tranſcurſu menti obrepat; quantæ grates Chriſto Domino ſint agendę, qui

vt nobis veram efferret Philoſophiam, *exultauit ad currendam viam, a ſummo cælo egreſſio eius.* Ita vt hodie etiam miſer ruſticus Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ fidem profitens his omnibus antiquis Philoſophis ſit præferendus. Sed quia non tantum primi Philoſophi ſed etiam primi Poëtæ, fuere Dæmonis famuli, a Philoſophis ad Poëtas tranſeo. *Pſal.* 18.

## NON TANTVM PRIMI Philoſophi: ſed etiam primi Poetæ malefici extitere, & quorſum id.

### CAP. XVI.

PRIMOS & veteres Philoſophos fuiſſe etiam Dæmonis famulos ſatis fuſè oſtenſum eſt: volebat quippe Dæmon diuinum cultum ſibi & rebus creatis adſciſcere eorũ miniſterio: ſed vt eſt nocendi cupidus nouaſque artes & Machinas ſemper moliens primos etiam Poëtas ſuis

afflauit furijs, vt quæ ipſe vellet, ipſi canerent. Ideo fere omnes fabulę, quas primi Poetæ ſcripſere, tractæ ſunt à ſacris paginis, ſuggeſtione videlicet Dæmonis ea quę Dei ſunt mimice ęmulantis, & ne quis me id ex meo commentum putet, Tertullianũ legat id expreſſe aſſerentẽ. *Omnia* (inquit) *aduerſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris. Ab his adulteria huiuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta, ab his etiam quædam fabulæ admiſſæ: vt ſimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel etiam euincerent: vt quis ideo putet Chriſtianis non credendum, quia nec Poetis & Philoſophis. Sic & videmur Deum prædican-* In Apologetico cap. vlt.

*tes iudicaturum. Nam & illi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, pro nde decachinnamur: sic enim & pyriphlegeton apud mortuos amnis est: si paradisum nominemus locum diuinæ amœnitatis: Elysij campi fidem occuparunt.*

Dæmon itaque, vsus primis Poetis tamquam Organis, ridicula in Deum cecinit, perditos homines consecrauit, effinxit Deos varios, & multa varie. In quorum fidem ille Orphæo Poetarum antiquissimus (a quo reliqui multa traxere) ita fuit magicis artibus eruditus & Dæmoni familiaris, vt eo maiorem maleficum post Zoroastrem non reperiam, ita vt sicut ille inter primos. Philosophos, iste inter

inter primos Poëtas magicem mire excoluit. Cuius vitam ideo hic inſcribam.

---

## ORPHÆI VITA QVÆ

*magiæ ſummam continet, cuius vitam ita perditam mors horrenda ſubſequta eſt.*

### CAP. XVII.

ORPHAEVM Poetarum antiquiſſimum primas tenuiſſe a Zoroaſtre in magicis nemo ambigit;

nam inter eius hymnos vn⁹ extat quem Dæmoni cum fuffimento mannæ thuris concinuit, in quo hæc verba prima fronte videntur magica aut ſaltem quorumdam Dæmonum nomina.

Γρύνιε σε σμινγεῦ πυθοκτόνε Δελφικε μάντι.

Grynie te ſminteu Pythoctone Delphice vates. Et quamuis ſint qui id aſſerant, reor tamen eſſe tantū locorum nomina in quibus Dæmon ſub Apollinis nomine colebatur, & a quibus nomen traxerat: vt videlicet *Grynij* a Grynæo [Myrinæorum oppido vbi erat eius fanum & peruetuſtum Oraculum, & ſic de reliquis (vt infra).

Denique iſte Orphæus

quattuor insignes artes a Dæmone assequutus est: videlicet Alectryomantiam, Astrologiam, herbarum peritiam, & Necromantiam. Alectryomantia antiquissima diuinationis species, quam solerter hoc versu comprehendit vergilius.

*Et voluerum linguas & præpetis omina pennæ.* 3. Æneid.

erat, ex auium cantu & earumdem volatu Ariolatio, quæ aliquando, ex auibus aperto cęlo volantibus, aliquãdo vero ex iisdem inclusis fiebat. Hac magica superstitione imbutum fuisse Orphæum, ipsiusmet scripta fidem faciunt, scripsit enim versib° cc. & mille nõ tãtum Astronomia & Amocopia, sed etiam ὠοσκυτικὰ seu

ὠοσκοπικὰ hoc est, ex ouo auspicia. Falluntur igitur qui hanc haruspi cinam ab hetruscis trahunt, & huius authorem credo Orphæum. Quoad Astrologiam, eam ab ipso adductam fuisse in græciam simul cum magicis artibus prodit lucianus, Astrologiam intelligo fatiloquam & stultiloquam, nam vt prudentius.

*Lucian. de Astr.*

*Quique putat fato esse locum,*
*sciat omniparentem*
*Esse Deum, nullis vetitum*
*fatalibus astris.*

*Prudent. in harmurtigenia.*

Quoad herbarum peritiã attinet, eam Orpheum didicisse a Dæmone consequens etiam est, cum huius artis adhuc rudes essent homines, & Pharmaciam ignorantes, porro cum

artium experientiæ longæ ſint ac difficiles nequaquã humana tantum induſtria tam ſubito acquiri poſſunt, at de hac Orphæi arte mira produntur, *primus omnium* (inquit Plinius) *quos memoria nouit, Orpheus, de herbis curioſius aliqua prodidit,* & Galenus *de cõpoſitis* (inquit) *dicetur antidotis Verum horum apparatus exponere perdifficile mihi Videtur, cum plerique horum conſcriptiones aggreſsi ſint, inter quos eſt Orpheus is qui cognominatus eſt Theologus,* Theologi dicebantur huius ætatis malefici ( vt iam dictum eſt, ne cui, hoc nomen Theologi aurem vellicet. Hæ tres primæ Orphei artes, ſed horribilior quarta, videlicet Necromã-

*Galenus l. 2. de Antidot.*

tia cuius illum authorem facile crederem, cum antea fuisse notam nõ repperiam. Quæ quidem ars seu sumatur pro animarum euocatione verbis & incantationibus magicis seu pro quadam ex rebus mortuis diuinatione, notissima fuit Orphæo: primum innuit Agatarchidas cum de thesproti dis loco, (vbi necyomantion fuerat hoc est ad euocandas mortuorum vmbras locus) quem scribit ab ipso in cultum vnde & nata fabula ipsum ad Inferos descendisse, & defunctæ animam coniugis in lucem euocasse.

*Agatar. l. 2. rer. Asiatic.*

*6. æneid.* *Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus.*

*Threicia fretus cythara fidibusque canoris.*

Quam longe postea fusum sit id contagium non tantum in græcia sed & per totam Italiam Nemo ignorat, & sane non sine horrore lego apud Tranquillum de Nerone post matrem occisam, *sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per magos sacro euocare manes & exorare tentauit.* Hunc animarum Oecursum expertus Libyæ rector Iudæorum insignis carnifex qui testante Iosepho, *terroribus expaueſeebat & crebro videbat sibi instantes umbras eorum quos peremerat, & clamitabat. Cumque se tenere non posset exiliebat stratis,*

*Tranquil. in Nerone. c. 34.*

*Ioseph. l. & c. vltimo antiquit.*

ramquam tormentis ſibi & flã-mis adhibitis, & Gallus de quo prodit Marcellinus. In-

lib. 14. *ter hæc tamẽ per inducias naturæ quieſcẽtis, ſauciabantur eius ſenſus circumſtridentium terrore laruarum.* Quo reſpexit miſera Dido du ſuo fugienti Æneæ comminata eſt.

4. Æneid. *Et cum frigida mors anima ſeduxerit artus*
*Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas*

Et puer apud horatium.

*Quin ubi perire iuſſus expirauero nocturnus occuram furor:*

Epod. 6. *Petamque uultus umbra curuis unguibus quæ uis Deorum eſt manium*
*Et inquietis aſsidens præcordijs pauore ſomnos auferam.*

Scio tamen quoſdam aſſerere nequaquam Cieri animas ſed Dæmones qui animarum vicem obeant, & dum in regum hiſtoria legimus Samuelis deffuncti animam a Pythoniſſa certis carminibus euocatam, haud fuiſſe animam, ſed Dæmonem. Et quamuis plerique patrum ſtent huic ſententiæ in explanatione huius loci, libentius tamen illis ſubſcriberem, qui vtrumque poſſe fieri non ambigunt. 1. Reg. c. 28.

De Orphei maleficio hæc ſufficiant. Eius vero inſtitutum & diſciplina nequaquam tacenda: nam nequã ille magorum familiam inſtituit qui per muſicam & ſaltationem a Dæmone afflabantur: varie tamen ab

authoribus appellati: Idæi, Dactyli, Coribantes, Telchines, Cabiri, Satyri, Curetes. &c. Idæi, quod Idæ montis radices primi coluerint, Dactyli quod tantum ab initio quinque fuerint, a quo numero & digiti (aiunt) vocantur Δάκτυλοι: Corybantes quod inter saltandum capita iactarent quod Κορύπτειν dicitur: Telchines a Telchine antiquo magiæ professore apud Assyrios (de quo suprà) Satyri a Saltibus: Tityri a Tityro monte: Curetes ἀπὸ τῆς Κουρᾶς id est a tonsura quod detonsi essent & rasi, vel a monte quodam Curio Pleuroni imminẽte vel quia sicuti Κόραι hoc est puellę, muliebres longas stolas

*Tityrus mons Cydonię ad plagam laconicã.*

induerent, vel quod Iouis alẽdi (vt nota eſt fabula) curã geſſerint ἀπὸ τῆς Κυροτροφίας hoc eſt ab alimonia. Cabiri a quodam monte Cabero Berecyntiæ regionis vel potius (ego reor) a pedum pulſibus, & quaſi Cancri agilitate eò ductus quod Κάβειρους Καρκῖνους hoc eſt Cancros heſychius exponat. Qui eos ait in lemno honorificè cultos & Vulcani filios creditos Κάβειροι Καρκῖνοι παγὺ τιμῶνται οὗτοι ἐν λήμνῳ ὡς θεοὶ λέγονται δὲ εἶναι ἡφάιςου παῖδες quæ verba cum his quæ affert ſtrabo ſi quis conferat me in faba (vt aiunt) midam repperiſſe forſan dicet ſic autem Strabo, *tibiæ ſonitu ac fiſtula pedumque pulſibus quibus propria quædam reperiunt*

*Heſych. in voce Κάβειροι.*

*Strabo l.*

*nomina per quæ Ministros, saltatoresque & sacrorum cultores appellabant, Caberos scilicet & Corybantes.* Hæc autem verba *Vulcani filios* non ad Cancros referenda sed ad Cabiros, ex eodem colligo, *Accusilaus* (inquit) *argiuus creatum Cabera & Vulcano Camillum refert ex quo quidem tres nati sunt Cabiri, è quibus Nymphæ Caberides, Pherecydes autem tradit ex Cabera Protei filia & Vulcano tres Caberos totidem Nymphas Caberides ortas, utrisque autem templa esse dicata. In lemno vero præsertim ac imbro Caberos honori habitos contigisse sed & in Troia per urbes.*

*Strabo ibidem.*

Inde & cabirorum mysteria, & numina, quorum iram & indignationem: ho-

minibus implacabilem fuisse scribit Pausanias, & alia permulta apud authores, quæ, in medium afferre iam non est opus. Et de varijs horum nominibus hæc sufficiant. Dixi magos fuisse, Strabone id attestante qui vbi varia de his recensuit, *Omnes* (inquit) *magos ipsos & incantatores fuisse intelligũt*, & ibidem de horum afflatu a Dæmone. *In hoc autem* (inquit) *vniuersi tradunt esse quosdam spiritibus afflatos & bacchicos inque armorum agitatione tumultuosa, & cum strepitu ac fragore cymbalisque ac tympanis*; mulieres deinde viris additæ quæ pariter ac ipsi & bacchabantur & furiis agebantur, variè pariter appellatæ, Thyæ, La-

miæ, Mimallones : his prę-libatis.

In his orgijs ab Orphæo inſtitutis ( ſic enim vocabā-tur ) ſex potiſſimum reppe-rio ſcitu digna. Initiationis ritum. Bacchantium extaſim. Duſium Dæmonem ſeu ſuccubum qui Bacchi nomine in his ſacris coleba. tur. Verba arcana & myſti-ca magiæ ſummam conti-nentia. Alia verba a Bac-chantibus Clamari Solita. Poſtremo Dæmonis Mimi-cam in his orgijs.

Quoad primum ſpectat. Initiari volens, ſacrorum a-dibat comitia ( bacchana-lia intelligo ) ibique dum conſederat ſerpens aureus (vt refert Arnobius) in eius ſinum iactus per imas

corporis partes retrahebatur: quod ſine contactu pudendorum poſſe fieri lector viderit. Notandum tamen ſymbolum ſerpentis aurei: ſymbola enim magica aurea ſunt, ſic femur aureum Pythagoræ apud Iamblichum pro magico charactere ipſius femori inciſo: Abaris ſagitta, aurea, virgulæ diuinatoriæ aureę, falces quibus Druydæ ſuum viſcū demetebant, aureæ, & alluſit Apuleius vbi de Aſino aureo.

*Arnob. lib. 5. aduers. gentes.*

*in lib. de vita Pythagoræ.*

Quoad afflatum ſeu extaſim. Erat extaſis rabida: at extaſes ſeruorum Dei placidæ ſunt. Deus Adæ, ſomni, non mentis immiſit extaſim. Fuit & Abraham in extaſi timoris Sine timore & Moſes in extaſim

*Gen. 15.*

raptus ſana mente loqutus eſt, *Plen⁹ timore ſum & tremẽs.* Fiebat autẽ hęc bacchantiũ extaſis per muſicam & ſaltationem nõ ſine dolo: nam etſi Dęmon mouendo tantũ phãtaſmata, eos afflare & futẽtes poſſet reddere ſine choro & muſica, vtebatur tamen, vt eos ad aliquos ritus aſtringeret, & hoc pacto ſibi tenacius deuinciret, & quia tunc furentes diuinabant, inde emerſit Platonis opinio, diuinationem nil aliud eſſe quam furorẽ: & quia muſica videbatur furorem inferre, & conſequenter diuinationem inde natum commentum Pythagoræ qui muſicam diuinum eſſe aliquid aſſerebat, quod ſatis fvſe explodit Philoſo-

*Plato in phædro.*

phus in libris de cælo. Assertionem tamen Pythagoræ amplexi sũt præsertim Platonici, vt Porphyrius qui asserens aliquos afflari cum audiunt tibias vel cymbala, alios vero cum alias melodias, *Variis* (inquit) *Deorũ ordinibus respondent in mundo variæ motionum species, certæque certis: ex his vero variæ profluunt melodiæ, quæ congruunt similiter per suos quoque motus certis ordine Dijs. Hi cũ vbique sint melodijs sibi præcipuè congruentibus adsunt præcipuè, nostrisque spiritibus per eas affectis se insinuantes occupant hominem, suaque mox essentia & potestate penitus implent. Cuius afflationis causa est non tam passio hominis excitata per musicã quam ipsa ad Deum musicæ con-* Iamblic. l. de myst.

*gruentia, cui naturaliter Deus adeſt*, & cum aliquis vrgere poſſet? vnde hęc muſicę, cum mente hominis ſympathia? ſubiungit, *quæ ad viſum veniunt nimis imaginaria ſunt: quæ ad ſenſum infra auditum, materialia nimis. Quæ ad auditum, media & animæ congruunt.* Cui commento aliud addens magis impium animam, priuſquam infundatur corpori, extitiſſe, & hanc muſicam audiuiſſe cõſtanter aſtruit. *Anima* (inquit) *in mundo intelligibili audiuit harmoniam diuinam, cuius hic reminiſcîtur quãdo audit melodias habentes diuinæ veſtigium, reminiſcens vero ad eam vehementer afficitur, ſi eſt è numero animarum, quæ ipſam harmoniæ ideam præcipuè comtemplatæ ſunt in patria. Eiuſmodi vero*

*affectu facta familiaris Deo, iam afflatur singulari quadam præsentia Dei.* Ex his video hũc diuinandi modum per furorem ad tibiæ sonum aut cymbali, non tantum a Dæmone introductum ob rationem supra allatam, sed etiam vt sui sequaces contra Dei gloriam varia inde cõmenta elicerent: nam Pythagoras insignis magus extitit (vt supra vidimus) & Plato in multis sequtus Pythagoram eius tres libros Philolai tempore euulgatos *centum minis sibi emi per literas orauit.* Nec etiam (vt volunt quidam) magica lue caruit. Dæmon autem quem Dixi bacchi nomine in his sacris coli solitum: iam succubus iam vero incubus viros & fœminas fœda vene-

*Laertius Pythag.*

re polluebat, vnde Gregorius Nazienſenus Bacchum vocat Deum Androgynü, & Iulius firmicus in opuſculo de errore profanarum religionum citat verba a bacchantibus cani ſolita dū eius congreſſum appeterēt, nec deſunt qui aduertant Dęmonem ſuccubum in his Orgijs ſub forma hirci hos concubitus peregiſſe, eo ducti quod Nonius in Dionyſiacis hinc prodat Bacchum ſe in hircum commutaſſe vt a nouercæ inſidijs ſe eriperet: Denique inter voces a bacchantibus fundi ſolitas præcipua erat *attes attes* quæ vox hircum ſignificat, nam vt ait Arnobius, *hircos Phrygienſes Atiias elocutionibus nuncupant.* Con-

*Orat. 2. a. in Iulianum.*

*Arnob. l. 5. adu. gentes.*

firmant quod hircus ſalaciſſimum animal ſymbolum ſit libidinis, & quod huius naturę Dęmones ſæpiſſime ſub hac forma in ſyluis viſi ſint.

*Sunt oculis Nymphæ ſemicaperque Deus.* Ouid. 2. faſtor.

Imo Eſaias quò loci vaſtationem Babyloniæ prædicit, *Ibi* (inquit) *habitabunt ſtruthiones & piloſi ibi ſaltabunt* vbi gloſſa, *piloſi ſunt ſylueſtres homines, hiſpidi qui incubones vel ſatyri, certa genera Dæmonum.* Cauſa autem quare Dæmones ſe incubos faciant (vt hic obiter dicam) non delectationis eſt cauſa cum ſpiritus carnem & oſſa non habeat, ſed vt per libidinem vtriusque hominis naturam lædant, Eſai. 13.

corporis ſcilicet & animæ, vt ſic ad omnia vitia homines proniores exiſtant: quę ſpurcities non tam crebra eſt poſt Chriſti legem, qua & turpitudo deletaeſt (vt ait Hieronymus) & Dæmonũ repreſſa licentia: cui legi interinnumera beneficia id quoquc acceptum referimus: nam profecto quid antea in Italia crebrius his ſatyris in ſyluis laſciuientibus, & illo fauno ficario de quo Lyricus.

Horatius

*Faune Nympharum fugientiũ amator*
*Per meos fines & amica rura*
*Leniũ incedas.*

Et in gallia his Druſijs eiuſdẽ naturæ Dæmonibus, quos a Druidis ſic appellatos ſupra retuli.

Quoad verba arcana & mystica horum sacrorum ea Clemens Alexandrinus sic refert.

*Clem. Alexand.* ἐν προτρεπτικῷ.

Χρησμους ἀρρήττους περὶ βακ΄χοῦ ἀν΄ακτος

Εκ τυμπάνου ἐφαγον

Εκ Κυμβάλου ἔπτον

Εκερνοφόρησα ὑπὸ τον΄ παστον

*Oracula non loquenda de Baccho rege*

*Ex tympano edi*

*Ex cymbalo bibi*

*Vasculum in sacris tuli.*

Quæ verba diram immanitatem (quæ in his Orgijs exerceretur) mire continēt etsi sub quodam nubilo.

*Ex tympano edi*: Hoc est excarnibus in aheno coctis, infantium puta quos occidi, vbi continens ponitur pro contento & tympanum

pro aheno: Imo & hodie magas esse infanticidas sæpe visum est, quod & nuper quædam Pyreneĝi montis accolę senatusconsulto Cameræ neracensis damnatæ non negarunt.

*Anno Domini 1609.*

*Ex cymbalo bibi.* Hoc est ex sãguine siue humore a corpusculis horum tenellorũ infantium eliquato? Cruentę dapes? Crudelis potus? attamen hæc esse magarum conuiuia spranger fidei inquisitor & adinuenit & scripto mandauit. *Tuli vasculum in sacris.* Hoc est vas tuli vnguentis magicis plenum, maleficos enim & maleficas vti solere interdum vnguẽtis magicis certum est. Sic Pamphylia apud Apuleium se oleo inũgit ad volandum

vt amaſium inuiſat & medęa vnguento ex allijs confecto.

*Ignota tauris illigaturum iuga*
*Perunxit hoc Iaſonem.*

Horat. Epod. Od. 3.

Quoad alia verba quæ dixi a bacchantibus cani ſolita, ad hęc quattuor rediguntur *Euæ, ſabæ, attes, hyes* quę etiã Demoſthenes æſchini exprobrat quod cum matre hæc ſacra coleret ſimulque ſaltaret, interim crebro clamitãs Euę, ſabę, attes, hyes. Eorum vero explicatio ex dictis pendet, refetur que ad ritus magicos quos perſtrinximus. *Euæ* ſeu *hauia* Chaldaico idiomate Aſpidem ſeu ſerpentem ſignificat. Non abs re acclamatio? quo enim nomine magis

In Orat. περὶ στεφάν.

appoſito Dęmon poterat appellari. Denique ſerpens aureus in ſinum Candidati horum ſacrorum iaciebatur & per iva retrahebatur vt ſupra diximus. *Sabe* vero ſeu *Sabą* hebraico idiomate ſignificat temulentiam, non abs re quoque acclamatio, cum hic ad ebrietatē & crapulam compotarent. *Attes* hircū ſignificare ſupra vidimus, Conſona quoque vox tam ob libidinem cuius ſymbolum eſt hoc animal, quam propter ſuccubos quos hic ſęuire ſolitos hirſuto corpore & Capripedes mox oſtendimus. *Hyes* poſtrema acclamatio ignem ſignificabat, nam ignis Hebręorum lingua *Haesh* dici-

*Ex Arn. lib. 5.*

tur, qua voce magicos charecteres ſibi inuſtos igne profitebantur, & ne igne ſuccenderentur (qui exitus magos manet) miſeri ſupplicabant.

Reſtat Mimica Dęmonis quam etiam in his Orgijs aduerti. Et de qua luculenter Iuſtinus martyr; probãs Dæmonem veteres fabulas ad æmulationem eorũ quę in ſacris ſunt paginis confixiſſe. *A moſe* (inquit *prefetatum eſt, non deficiet princeps ex iuda & Dux è lumbis eius, donec veniat cui repoſitum eſt: & ipſe erit expectatio gentium, ligans ad vitem pullum ſuum, lauans ſtolam ſuã in ſanguine vuæ. His verbis auditis, Dæmones Dionyſium Iouis filium eſſe dixerunt, inuentoremque vitis eſ-*

*Iuſtinus mart or. ad Anto.*

Gen. 49.

*se prodiderunt, & asinum in mysteriis & arcanis eius sacris duxerunt, & quia in Mosæ prophetia expressis verbis designatum non erat utrum ille filius Dei in terris mansurus, an in cælum ascensurus esset: atque pulli nomen, & asini & equi pullum denotare poterat: nescientes asini ne an equi pullum ducens, & utrum Dei an hominis futurus esset filius: Bellorophontem quoque ipsum hominem ex homine genitum, in equo pegaso in cælum perueniisse promulgarunt.* Hæc ille quæ ob authorem tantæ fidei obmittere nolui.

Talia fuere hæc comitia ab Orphęo instituta in cultum Dęmonis, inde Orphica appellata a nomine institutoris. Etsi postea nomen sabbati sortita sunt a voce

*ſeba* de qua ſupra. Quę etiã hodie durare taleſque exaudiri voces *Har, Sabat, Sabat*, experientia comprobatum eſt : eo tamen diſcrimine, quod eo tempore impune cogerentur, iam vero poſt Chriſtum, qui *in hoc apparuit filius Dei vt diſſoluere t opera Diaboli* qui hęc frequentant vt diuinæ maieſtatis rei grauiſſime puniuntur. 1. *Ioan.* 4

Ex his patet quis fuerit fuerit Orphęus & quo in loco inter Dęmonis famulos ſit ponendus, imo & maſculam venerẽ prim° dicitur induxiſſe, Phanocle atteſtãte (apud Stobęũ) cuius extant hi verſus de Orphęi amore in pueros thracum, quoſque mutuatus eſſe videtur Ouidius. *Stob. ora. am. ven.*

*Primus apud Thracas puerorum inuenit amores*
*Fœmineo quoniam tactus amore minus.*

Et quamuis quidam hoc horendum & flagitioſum inuentum ad alios quoſdã referant, vt alij ad Thamyram cum hymenæum calliopes & Magnetis filium deperiret, alij ad Iouem qui ganymedem amauit & rapuit. Moſchopulus euripidis iuterpres, ſuidas & Athęneus ad laium (quem & lainum quidam vocant) qui Chryſippum Pelopis filium perdite amauit, vnde apud Gręcos lex laia vt apud Romanos ſcatinia contra Marium cõcubitores. Vero ſimillius tamen eſt ab Orphæo tam

*Athæus. lib. 13. & Proſoph*

ſpurcum flagitium iuuectũ.

Hæc fuit vita Orphæi, quam vt potui curſim perſtrinxi. Sed vt ſemper, horrendam vitam horrenda mors ſequitur: nequam iſte dum nil minus cogitat, de cælo tangitur, & quamuis ſint qui a Bacchis diſcerptum dicãt quod ſpreto fæmineo ſexu venerem diuertiſſet ad maſculos.

*Quarũ vna leues iactato crine per auras*
*En ait, en hic eſt noſtri contemptor & haſtam*
*Vatis Appollinei vocalia miſit in ora.*

*Ouid. lib. 10. Metamorph.*

Eum tamen fulmine interijſſe certius eſt, vt conſtat ex .hoc epigrammate quod inſculptum in Dio

Macedoniæ multos annos manſiſſe ad memoriæ monumentum proditLaertius.

*Orphæa candenti traiectum fulmine trhacem*
*Cum aurata æonides hic poſuere lyra.*

Denique magorum principes tali morte occumbũt. Zoroaſtres a Dęmone vſtulatꝰ eſt(vtiã dixim⁹)Pythagoras eiꝰ,æmulꝰ igne perijt. Et Amphiarau Pyromãtiæ author fulmine quoque enecatus eſt. Potuit tamen fieri vt Orphæi corpus fulmine exanimatum & humi-iacens ab iratis mulieribus ſit diſcerptum. Nam eius caput in Hebrum proiectũ Iesbum appuliſſe atque ibi conſepultum fuiſſe,ab incolis Conſtans fama eſt. Quod luculenter expreſſit Ouidi⁹

his verſibus addito etiam figmento ad rei luctum.

——*Caput Hebre lyramque*
*Excipis, & mirum, medio dum labitur amni*
*Flebile neſcio quid queritur lyra, flebile lingua*
*Murmurat exanimis, reſpondent flebile ripæ.*

Ovid. 1. Metam.

Hæc quæ hactenus de Orphæo, horrenda ſane ſunt, ſed horribiliora quæ poſt eius mortem a Dæmone facta prodigia, & primum quidem ad eius demortui caput. Quod loqutum & in Iesbo Oracula reddidiſſe teſtatum reliquit vterque Philoſtratus, vnde eſt illud de Cyro τὰ ἐμὰ ὦ Κύρε σε quo reſponſo, illi eamdem, quæ ſibi fuit, ſortem vaticinatur, & rei euentus Oraculo fidē

præbuit, nam cum is Cyrus ad istrum contra Massegetas profectus esset, a fœmina quæ illis populis imperabat, occisus & truncatus est.

Alterum, ad eius statuam, quæ apud libethrios Macedoniæ ex cupresso confecta, Alexandri Macedonis tempore sudare visa est, quod interpretatum scribit Arrianus ab Aristandro telmissæo bene ac Faustè Alexandro portendere, fore vt Poëtæ sudarent in præclaris ipsius Gestis describendis. Hæc (inquam) a Dæmone facta ad Orphæi caput & statuam, post eius mortem, vt ostenderet quam sibi in vita charus & quo in loco inter suos magos fuisset. Vbi & Mimi-

*Gyrald. ferrarien. de Poetis.*

cam Dæmonis video, nam cum reliquiæ ſeruorum Dei mira patrent, idque non poſſit in ſuis Dæmon, præſtigijs adumbrat. A portento huius capitis quod a cadauere exciſum, tempore exeſum & vix dentibus ſuis Munitum, loqutũ tamen eſt & in Iesbo Oracula reddidit, fluxit altera necromantiæ ſpecies, quam exercentes è mortuorum ſepulchris oſſa eruũt, ex quibus futura diuinent & alia nefanda efficiant: vt in Germania anno 1592. quidam ſcholaſtici qui litteris addiſcendis parum inepti hominis caluã ex quodam cimeterio eruta, eademque verbis quibuſdam magicis in muſæo clauis affixa, tam

proſpere vſi ſunt, vt breui & linguarum peritiam, & quas voluerint ſcientias adepti ſint, quos tamen poſtea temporis à Dęmone interemtos has ſcientias charè emiſſe iudicatum eſt.

## POSTQVAM DÆMON Ppoetas efffauerit quomodo Deus O. M. conatum Dæmonis re-preſſerit.

### CAP. XVIII.

ORPHÆVM Poetarum antiquiſſimũ, præſtitiſſe in magicis fuſe oſtenſum eſt. Reliquos Poëtas eius coætaneos aut poſt eum ſequtos eadem etiam lue magica infectos fuiſſe Conſtans fama eſt: vt videlicet Thamyram, Amphionem, Eumolpum, Palephatum, Eueclum, Melampum. &c. Thamyræ

Theologiam (id est magiã) extitisse ait suidas tribus millibus versuum conscriptam & Plato eius hymnos cum Orphicis celebrat. Amphion vt refert Pausanias vna cum Orpheo artes magicas docuit. Palephatus Athenïensis scripsit quamdam Κοσμοποιίαν hoc est mundi creationem carminibus quinquies mille tot nugis & impijs refertam fabulis, vt eam afflatam a Dæmone contra veram a Mose scriptam nemo ambigat. Eumolpus Orphæi Discipulus ab eo etiam arte magica eruditus est, scripsit enim Cereris mysteria & sacra tribus versuum millibus, (quæ nihil aliud fuere quam scripta magica vt Ce-

*Pausan. in Eliacis.*

*Onomac. in Argonaut.*

res insignis fuit venefica.) Melampus qui multis versuum millibus scripsit de luctu eiusdem cereris, ita dictus quod nigris fuerit pedibus: Ariolus etiam fuit: vnde apud Suidam symbolum seu prouerbium *Melampode aut Pollete opus* de his rebus quæ obscuræ dubięuę fuerint. Imo & Hesiodum vaticinandi artem ab Acarnanibus edoctum & de ea carmen scripsisse tradit Pausanias, & ipse Homerus in his quæ de Dijs finxit, Orphæum imitatus est. *Pausan. in bœotic.*

Cur autem Dæmon hos primos Poetas sic afflauerit supra dictum est ex septimo *ut similitudine fidem infirmaret veritatis, ut quis putet ideo* *Septim. Tertul. in Apolog. c. vlt.*

*Christianis non credendum quia nec Poetis &c.* Idem confirmat Iustinus martyr in oratione ad Antonium pium *a Poetis* (inquit) *fabulose conficta, ea ipsa ad fraudem & seductionem generis humani dicta esse demonstramus opera & suggestione malorum Dæmonum &* Paulo post, *efficere se posse Dæmones sunt rati, vt homines pro fabulis prodigiosis Poeticisque narrationibus res Christi haberent, quod autem dicta Prophetarum audientes sensum eorũ non recte intellexerint, sed allucinantium more res Christi sint æmulati, explicabimus* & statim promissis stans, *cum autem* (inquit) *accepissent quod est dictum per Esayam è Virgine nasciturum, & se ipsum in cælum conscensurum: vt Per-*

*ſeus celebraretur inuenerũt atque vbi etiam cognouerunt prædictũ eſſe vt tamquam robuſtus gigas curreret viam: Herculem fortem qui omnem peragrarit terrã, prædicarunt. Vbi vero rurſus intellexerunt, vaticiniis promiſſum, illum omnem morbum curaturum, Æſculapium introduxerunt.*

Hæc fuit potiſſima ratio doli Dæmonis exinde ſuſpicantis, vt homines his ineptijs imbuti nullam Diuinitatem crederent, aut ſaltem vultus in cælum erectos humi affigentes, res creatas pro Dijs colerent, & ſane res ipſi ex voto ceſſit, erecta ſunt ſtatim idola, quidam homines & eos quidem ſceleratos, quidam Solem & Lunam, piſces ſy-

rij, aquam Babylonij, Ægyptij porros & herbas conſecrarunt.

Iuuenalis

*O ſanctas gentes queis naſcebantur in hortis*
*Numina.*

Sed Deus humani generis miſerens, præter hos vates proprios quos habuit Hyeroſolimis, etiam inter gentes alios excitauit, vt vnum Deum tantum canerent, & dolos Dæmonis agitarent, Hi autem fuere Hydaſpes Medorum rex & Sibylla. Mirabitur forte aliquis Deum in ipſos Gentiles hæc ſuæ munificentiæ munera profudiſſe? at ne ex meo commentum putet, *quemadmodum* (inquit Cle-

mens Alexandrinus) *Deus Iudæos ſaluos eſſe volens, Prophetas eis dedit: ſic & apud Græcos ſiue Gentiles, probatiſſimos vernaculæ linguæ eorum Prophetas excitauit, eosque pro eo atque poterant beneficentiam Dei capere, a plebe vulgari ſecreuit. Declarauit hoc in Petri prædicatione Apoſtolus Paulus: Accipite* (inquit) *Gentilium libros, cognoſcite Sybyllam, vt vnum prædicat Deum, & quæ futura ſunt præmonſtret & Hydaſpen in manus ſumentes legite & inuenietis euidentius & clarius ſcriptum filium Dei.* Idē inculcat paſſim Iuſtinus martyr in his libris quos pro defenſione Chriſtianæ veritatis conſcripſit. Meminit & Hydaſpis Lactantius vt ſcriptoris Dei vatib⁹ ſuffragantis, & ſua edentis vaticinia ſub interpretatione pueri. Et ſane Deum. O. 15:

Clem. Alex. l. 6. Stromat.

Lactant. l. 7. cap.

*Iust. mar. in ora. ad Gentes.*

M. Hydaſpen & Sibyllam inter Gentiles pro Gentilibus excitaſſe, confirmant quæ ſtatim egit Dæmon: cius enim opera & inſtictu, mortis ſupplicium aduerſus librorum Hydaſpis, aut Sybillæ lectores conſtitutum eſt: & dum hi libri a Græcia Romam tranſlati ſunt, lege cautum eſt ne ab omnibus ſed a certis tantum legerentur, nec omni tempore, niſi vel ingruente bello, craſſante peſte, aut alio malo publico ſæuiente: Timebat pater mendacij, ne ex horum lectione Gentiũ cæcitas patefieret, & ne hi verſus Sibyllini populo vulgarentur.

*Quid de principibus ſtatuiſti Græciæ magnis*

*Sacrificas ſtatuis, quis te malus impulit error,*

*Talia quæ faceres, & ſummi ſacra parentis*

*Deſereres.*

Ecce quid primo contra Dæmonem in auxilium humani generis: ſed en fortius telum a manu Dei. Ipſimet Magi Dæmonis inſtincti Dei numine Palinodiam canunt. Orphæus ille tam inſignis Dæmonis famulus (cuius vitam mox perſtrinximus) cum trecentos & ſexaginta Deos introduxiſſet, in libello quem teſtamentorum titulo inſcripſe-

rat, poſtea a Deo afflatus quaſi in pœnam Dæmonis, non tantum quæ ſcripſerat, retractauit, ſed luculentos de vno Deo verſus edidit, quos ideo a Græco Idiomate in Latinum ſic verſos hic inſeram.

*Iuſtinus martyr in oratione ad Ant. hos verſus affert.*

*Solis canto pijs, procul ô procul eſte profani)*
*Tu muſæe audi, Luna prognate ſilenti*
*Perniciosa priùs, Vitæqu, infeſta futuræ*
*Ex me cognosti: ſed nunc te vera docebo*
*Inſpectans Verbum diuinum huic ſolus inhære*
*Incedens recta, regemque hunc orbis adora*
*Vnicus eſt per ſe exiſtens qui cuncta creauit.*

Dixi a Deo afflatum, non pœnitentia ductum (vt volunt quidam) quæ enim pœnitentia in eum potuit cadere, qui tam infœliciter perijt. De Pythagora idē dicendum, (quem ſtigma Dæmonis geſſiſſe in femore ſupra vidimus) qui profecto etſi magicæ artis peritus & Dæmonis diſcipulus fuerit, Cum tamen Deum Dixit eſſe vnitatem & ſine hac nihil eſſe genitum: Magiſtro impegit Colaphum. Nec mirum Dei ſpiritum loqui per os eorum qui & perditi & magi ſunt, quoties ipſi ita placet, vt enim per eādem fiſtulam & aqua fœtida & dulcis liquor poteſt fluere: ſic per fauces eiuſdem hominis, Dæmonis voces &

Dei: videre eſt in ſacris paginis: & in illo vate Balaam de quo Auguſtinus, *Balaam* (inquit) *laudabilis eſt, cum verbum Domini ponitur in ore eius, cum ſpiritus Dei ſit ſuper eum, cum Iudæis & Gentibus de aduentu Chriſti myſteria futura prenuntiat, cum pro maledictionibus benedictionem populo largitur, & nomen Iſrael ſuper viſibilem gloriam myſticis excolit eloquiis: alioqui vituperabilis, cum ędificat aras & victimas imponit Dęmoniis, & apparatu magico poſcit diuina conſulta: cum conſilium peſſimum dat vt populus decipiatur per mulieres Madianitas & cultum idolorum.* Quamobrem & veteres Philoſophi ſi quid veri & pulchri de Deo inter deliria & aniles nugas, id Dei inſtinctu dixere, nec putandum Platonem & Pythagoram Moſis libros vnquam legiſſe etſi quidem:

*Auguſt. de Temp. ſer. 103.*

Platonem

Platonem Moſem atticum & veteres Phiſolophos Moſis librorum fures dixerint. Nam eorum ætate Moſis & aliorum vatum libri ab Hebræo ſermone nondum in Græcum verſi fuerant, & eos in Ægyptum nauigaſſe non vt myſticam Hebræorum Theologiam ſed vt magicas artes addiſcerent, non tantum ex Plinio ſed ex Iuſtino martyre ſupra oſtendimus Sed quia communis fama inualuit eos Moſis libros legiſſe, & id de Platone quaſi mordicus quidã aſſerunt ne me ſine authore loqui quis putet. Ecce Auguſtini verba idem liquido aſſerentia. *Ab anno mortis Platonis vſque ad tempus quo Ptolomeus rex Ægypti ſcriptu-*

*vt inter alios Clem. Alex. l. 1 Stromat.*

*D. Aug. l. 8. de ciuit. c. 11.*

*ptuas Prophaticas gentis Hebręorum de Iudęa, popoſcit, & per ſeptuaginta viros Ebręos qui etiam Gręcam linguã nouerant, interpręandas habendaſque curauit ferme reperiuntur ſexaginta. Quapropter Plato in peregrinatione ſua AEgyptia Propheticas eas ſcripturas ligere non potuit, quæ nondum fuerant in Gręcam linguam tranſlatę, qua ille pollebat. niſi forte, quia fuit acerrimi iudicij & ſtudij ſicut AEgyptias, ita & iſtas per interpretem didicit.* nec refert quod D. Auguſt. dubie loquens quaſi liberũ relinquat lectori calculum, volebat namque vti Platone contra gentiles vt eos quaſi proprijs armis euinceret, & ideo illum exaltat vt acerrimi iudicij virum, cum alioquin eſſet plũbei: nam & ſibi pugnantia paſſim loquitur iam aſſerens materiam Deo æqualem & coæ-

taneam iam vero negans (quo argumeto vtitur Epiphanius contra Platonicos) & plures ſunt in eius Dialogis fabulæ quam rationes Philoſophiæ. Vnde Prudentius veteres ridens Philoſophos ſic lepidè ab illo incipit.

*Conſule Barbati deliramenta Platonis*
*Conſule & hircoſus Cynicus quod ſomniat.*

*Prudent. in Apotheoſi.*

Quare: potius concludẽdum, de his omnibus (ſi quid veri de Deo & de eius arcanis dixerint) Deum ſuggeſſiſſe, (ſi quid noxij (Dęmonẽ. Idemque aſſerendũ de primis Græcorum Poetis, qui etſi a Dæmone afflati (vt ſupra oſtendi) *de vno tamen vero Deo inter multa va-*

*na & falsa* ( vt ait Augustinus ) *cecinerunt colendo.* Cui respondet illud Democriti apud Clementem, *Poeta quæcumque scribit diuino numine & sacro spiritu afflatus pulchra admodum sunt.* Aurea sane verba & ex ore profano non profana : & vaticinatur nil minus cogitans phæmius ille cantor apud Homerum dum ait.

*l. 18. de ciuit. c. 14.*

*Clem. Alex. l. 6. strom.*

*Odyss. χ.*

——— Διὸς δὲ μοι ἔν φρεσὶ οἴμας παντοίας ἐνέφυσεν.

——— *Mihi varios in pectora cantus afflauit numen.*

Et latinus Poeta dũ canit.

*Est Deus in nobis agitante calescimus illo*

*Sunt etiam qui nos numen habere putent.*

*Ouid.*

Quod fusius hic exequerer, si luberet per ea, ad quę propero, nam sicut veri prophetæ vnum Deum prædicant vnum loquuntur: quippe qui vnius Dei spiritu pleni, falsi pariter qui postquã plures cecinere, vnum canunt, ab eodem coguntur spiritu. Et vnde quæso illud Empedoclis Poetæ & Philosophi.

*Infelix quem cæca tenet cultura Deorum.* *Clem. l. j. contex.*

In tanta rerum caligine ante Christi natalem, & alij versus quibus vtitur Iustinus martyr contra gẽtes, nisi a Deo in gratiam humani generis.

Hæc fuere prima iacula quę Deus iecit in Dęmonẽ, sed ecce tertium adhuc for-

tius primis, Ipſemet Dæmon ſibi a Deo quaſi illata vi & preſſis faucibus, coactus eſt ſæpe numero & ſe mendacem confiteri & ſolos Iudæos verum Deum colere. Vt notum eſt ex oraculo quod Græcis vbinã eſſent vere pij & religioſi homines conſulentibus ſic redditum refert Euſebius.

*Solis Chaldæis ſapientia contigit atque*
*Hebræis qui ex ſe genitum regemque Deumque*
*Pura mente colunt, atque vnũ numen adorant.*

Euſeb. l. 3. demõſtrat. Euangel. c. 5.

Cui & ſimile fere eſt illud alterum quod Iuſtinus martyr in oratione ad gentes bis repetit. Notum etiam eſt id Oraculum, quod cũ Amaſis Ægypti rex men-

dacij conuiciſſet, eius templum ſolo adæquans, ſciſcitantibus conſtanter reſpondit ſe nolle Deo mandaci credere.

Itaque ſicut leo & ſimiæ ludum permittit & dum vult, eam diſſecat, ſic Deus *leo de tribu Iuda* etſi Dæmoni multa concedat, iam in pœnam peccati iam vero alta & ſecreta prouidentia (vt loquitur Auguſtinus) ei tamen ad libitum & os claudit & manus vincit, vt iam oſtenſum eſt: Quod ſi hæc omnia quæ Deus pro hominibus egit in Dæmonem ante Chriſti aduentum, cõiuncta naturæ lumini Gentilium damnatorum planctibus ſatisfaciant? quid hodie? poſt tot a Deo bene-

ficia, quibus haud dari poterant cumulatiora, si extent, qui Deum quidem verbis asserant, factis negent: sed de his alibi, & cũ Dæmonem Mimum agentem & mira gesticulatione Dei opera effingentem, hic depingere statuerimus, ne *Manum è tabula* & reliquos eius gestus rudi quãtumuis penicillo imitemur. Delibauimus quædam, de vaticinijs in vniuersum, de Oraculis iam dicendum, & primo de Dei Oraculis, quod ad eorum exemplum Dæmon sua effinxerit.

## DE SACROSANCTIS

### *Dei Oraculis, quæ reddebanntur in propitiatorio tabernaculi Moysis.*

### CAP. XIX.

DEVS O. M. in Iudæos sui cultores nimis beneuolus, eis vera dare vellẽs oracula: imperat Moysi vt arcam compingat, & in ea propitiatorium id est aureã tabulam eiusdem cum arca magnitudinis, ipsique vice operculi superpositam: qua *Exod.25.*

compacta, rursus Moysi præcipit in hæc verba *Duos Cherubinos aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi, Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero, utrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas.* Hi autem Cherubini innuebant sola Dei oracula vera esse, quippe ab ipsamet scientia: nam Cherubin omnem scientiã & multam scientiam significat, sic enim Philo, *Operculum arcæ* (inquit) *quod vocatur propitiatorium, basis est duarum imaginum volucrium, quæ sermone vernaculo nominãtur Cherubin id est multa scientia.* quamobrem ipse Pontifex dum penetrale ingrederetur ad consulendum oraculum, ferebat in pe-

*Exod. 25.*

*Philo Iudeus l. 3. de vita Mosis.*

ctore *Vrim & Thumim* id est doctrinam & veritatem, ex ipsamet Dei lege Mosi sic tradita *pones in rationali Vrim & thumin id est doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Exod. 28 Nec refert quod Abulensis & Lyranus nomine Vrim & Thumin fulgorem illum intelligant, qui ex gemmis duodecim rationale exornantibus emicabat, dum prædicta verba exodi sic exponunt, ex Iosepho (vt aiunt) *pones in rationali* id est pones lapides per quorum fulgorem manifestabitur Sacerdoti diuinum beneplacitum: Nec refert (inquam) qui enim asserunt hæc nomina Vrim & Thurim id est doctrinam

& veritatem, aureis fuiſſe contexra literis in rationali aut ſaltem in metallo inciſis characteribus inſcripta, ex Ioſepho aduertunt, quod proſperi tantum aut aduerſi bellorum exitus ex hoc gẽmarum fulgore populo innoteſcerent. Sic enim Ioſephus. Per gemmas duodecim (inquit) quas in pectore Pontifex geſtat in bello victoriam prẽnuntiare Deus ſolebat: nam priuſquam exercitus ſe moueret tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facile innoteſceret adeſſe Deum, opemque & auxilium ſuum inuocantibus eſſe allaturũ. Quapropter Græci quotquot a noſtra religione non abhorrent, cum hoc mira-

*Ioſeph. l. 3. antiquit. c. 9.*

culum pro compertiſſimo habeant, ita vt negari non poſſit, eſſena vocant λόγιον id eſt oraculum deſierunt autem lapides fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur. Hæc Ioſephus quæ ſane ſcitu digna.

His prælibatis. Quoad ritum ſpectat quo hæc in vniuerſum Dei Oracula reddebantur : non omnes idem ſentiunt. Putant aliqui quod Pontifex Pontificia veſte, ephod & rationali indutus (vt Deum rogaret) Dei ſpiritu afflaretur & ita de futuris oracula ederet : & in eam ſententiam trahunt Ioſephum qui libro ſexto antiquitatum, *Iubet Saul* (inquit) *Pontificem ſumpto* *l.6.cap.7*

*Sacerdotali habitu de futuris vaticinari* confirmant teſtimonio ſacræ paginæ, *ſiquid agẽdum erit Eleazar Sacerdos conſulet Dominum.*

Num. 27

Scribit Rabi Salomõ quod Sacerdoti Deum cõſulenti manifeſtaretur veritas virtute Auguſtiſſimi nominis tetragrammati quod erat poſitum in rationali ſub lapidibus cui ſententiæ multi ſubſcribunt; cum illud nomen Auguſtiſſimum, in vtraque lege ediderit tot miracula.

*Eugubin. & lyr. Exod. 28*

Nec defuere qui dixerint intra ipſum rationale duplicatum duas fuiſſe laminas aureas, in quibus diuina nomina erant exarata: cum igitur à Deo Oraculum petebatur, ſcripto vt putant

petebatur, quod inter laminas pontifex collocabat, & Paulo post cum Dei responso extrahebat. Et huius sententiæ author creditur Rabi Abraham, quam tamen tamquam somnium & commentum multi explodunt. *Abulen. sit 1. Reg. c. 23. q. 7.*

Communior tamen & plures habens consectaneos affirmat quod responsa a Deo quidem redderentur sad voce angeli. Cui fauent plurima sacræ paginæ testimonia: imo ipsamet Dei verba ad Mosem *præcipiam & loquar ad te de propitiatorio* & statim sequentia, *Cum ingrederetur Moyses tabernaculũ fœderis vt consuleret Oraculum audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio.* Et post Mo- *Numer. 7.*

ſem Dauidi etiam voce reddita, legimus primo Regū.
1. Reg. c. 23. *Dixit Dauid ad Abiathar Sacerdotemapplica Ephod, & ait Dauid ſi tradent me viri ceilæ in manus eius? & ſi deſcendet Saul ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine Deus Iſrael indica ſeruo tuo, & ait dominus: deſcendet.* Vbi clara voce datum oraculum nemo dubitat. Vt etiam poſtea temporis eidē redditum in hæc verba, *& conſuluit Dauid Dominum dicēs perſequar latrunculos hos & cōprehēdam eos an non? dixitque ei Dominus? perſequere absque dubio enim comprehendes eos & excutiesprædam.*
1. Reg. c. 30.

Certum tamen eſt etiam interdum data a Deo Oracula per ſomnium vt conſtat ex his verbis primi Reg.
1. Reg. c. 28.

*Conſuit Saul Dominum, & non reſpondit ei neque per ſomnia neque per Vrim & Thumin.*

Cæterum in hac opinionum congerie quæ verior aut veriſimilior ſit, non eſt meæ tenuitatis inquirere. Arridet tamen Genebrardi conceptus, dum hæc Hebræorum Oracula ſic diſtinguit, vt vnum quidem eſſet mutum videlicet in Vrim & Thumin, alterum vocale è viua Dei vel vatis voce: & ſub hac diſtinctione notat hanc Dæmonis Mimicam, ad quam hic inſcribendam me accingo. *Genebr. l. 1. Chr.*

## QVÆ FVERIT DÆmonis Mimica in ſuis antiquioribus Oraculis, videlicet Dodonæo & Ammonio, poſtquam vidit diuina Oracula reddi ſolita in tabernaculo Moyſis.

### CAP. XX.

HÆc curſim retuli de Sacroſanctis Dei Oraculis, antequã de reſpõſis Dęmonum loquerer, vt eorũ fraudes clarius viderentur, & falſitas veritati oppoſita

clarius eluceſceret: Denique ratio ordinis id exigebat: non enim putandum templa oraculorum Dęmonis extructa fuiſſe ante Moyſis tabernaculum, vt enim Mimi ab alijs prius facta effingunt: Sic Dæmon vere Simiolus & Pantomimus & vt vidit Deum O. M. Solenni quodam titu ſua dantem Oracula in Moyſis tabernaculo, ſua etiam dare voluit & in templis & Solennibus adhibibitis ceræmonijs. Hinc luculenter Genebrardus poſtquam de Moſe loquutus eſt, ſubiungit de Oraculis Dodonæo & Ammonio, vti Deus (inquit) parturiebat hac tempeſtate Eccleſiam in Abraæ familia, Ita Sata-

*Genebra. l. 1. Chr. uol. ad ann. mundi 1670.*

nas ſuam Synagogam in gentibus, nam circa hos dies monſtrata videntur a duabus columbis ex Ægypto prouolantibus duo Oracula Hammonis in Libya & Dodonæi in Græcia, quę proinde vetuſtiſſima omniũ eſſe ſcribit Herodotus: vnde & Hammonis vocabulum factum videtur ab Hã ſiue Cham Noæ filio, & Dodanim nomen habetur Geneſis 10. idque vt duob⁹ hebraicorũ Oraculorũ generibus reſponderent, quorũ vnum Vrim & Thumin in Ephod erat mutum perinde ac Hammonium, alterũ æque ac Dodonæum vocale è viua Dei vel vatis voce: Hæc Genebrardus, quæ profecto non ſpernenda, & ſi liceat inuentis addere,

*Herodot. lib. 2.*

occurrit alia Dæmonis Mimica vt enim in Moyſis tabernaculo ante altare holocauſtorum ignis ſemper ardebat, ex Dei lege quæ ſic habetur in Leuitico. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos* id etiam Dæmon effinxerat in ſuo Hammonis Oraculo, in quo erat lucerna ignis perpetui & inextincti vel Plutarcho teſte in libro de defectu Oraculorum quò reſpexit Maro in hoc verſu. *Leuit. 9.*

*Centum aras poſuit, vigilemque ſacrauerat ignem.* *4. antid.*

Cæterum præter etymologiam huius vocis *Hammõ* quam Genebrardus à Chã Noæ filio trahit : variæ af-

feruntur à varijs: Hebraicũ vocabulum ſignificat veracem, vel fortem vt vult Ioſephus: Manethus Ægyptius ait hoc nomine arcanũ, occultumque ſignificari, Hecatæus *Ammum* eſſe vocem AEgyptiorum cum Deum inuocarent. Ali ita dicunt uocatum Oraculum a verbo Græco ἄμμος id eſt Arena, quod in locis Arenoſis Arabię eſſet poſitum eò loci quò ſepulchrum Mechmetis nunc extat, vt ex multis ſubodoror: Eſtque id in votis Dęmonis, vt ſuos antiquos honores ſi poſſit, renouet, Et in iiſdem ſedibus, in quibus olim cultus eſt, rurſus colatur. Oracula vero hic reddebantur in ſomnijs, & Io-

*Plutarc. l. de Iſid.*

uis ſimulachrum ſpecie arietis colebatur. Hinc lepide Agellius reſpõſum quod Ammon Iuppiter, cuidam edididerat vocat arietinum Oraculum & Claudianus Iouem huius templi, numẽ Cornigerum. Iamblic. l. de myſt. Agell. l. 3. cap. 3.

*Exin Cornigeri veneratus numinis aras*
*Captiuis onerat Spolijs.*

Mitto alia quę ſatis trita & decantata ſunt apud authores.

Quoad Dodonęum attinet, quidã ſic dictũ volunt a quadam Dodone Nympha ſeu lamia, alii a Dodono Iouis & Europę filio : Alii quod a poſteris Dodanim inſtitutum fuerit, qui magi Gene. 10.

feruntur à varijs: Hebraicũ vocabulum ſignificat veracem, vel fortem vt vult Ioſephus: Manethus Ægyptius ait hoc nomine arcanũ, occultumque ſignificari, Hecatæus *Ammum* eſſe vocem AEgyptiorum cum Deum inuocarent. Ali ita dicunt uocatum Oraculum a verbo Græco ἄμμος id eſt Arena, quod in locis Arenoſis Arabię eſſet poſitum eò loci quò ſepulchrum Mechmetis nunc extat, vt ex multis ſubodoror: Eſtque id in votis Dęmonis, vt ſuos antiquos honores ſi poſſit, renouet, Et in iiſdem ſedibus, in quibus olim cultus eſt, rurſus colatur. Oracula vero hic reddebantur in ſomnijs, & Io-

*Plutarc. l. de Iſid.*

uis ſimulachrum ſpecie arietis colebatur. Hinc lepide Agellius reſpõſum quod Ammon Iuppiter, cuidam edididerat vocat arietinum Oraculum & Claudianus Iouem huius templi, numẽ Cornigerum. *Iamblic. l. de myſt.* *Agell. l. 3. cap. 3.*

*Exin Cornigeri Veneratus numinis aras*
*Captiuis onerat Spolijs.*

Mitto alia quę ſatis trita & decantata ſunt apud authores.

Quoad Dodonęum attinet, quidã ſic dictũ volunt a quadam Dodone Nympha ſeu lamia, alii a Dodono Iouis & Europę filio : Alii quod a poſteris Dodanim inſtitutum fuerit, qui magi *Gene. 10.*

fuere, quercus conſecrarunt, & diuinationem ex peluibus inſtituerũt, quàm rem valde aſtruit quod affert Suidas ex Damone, videlicet Iouis Dodonæi Oraculum lebetibus ęreis vndique ſeptum fuiſſe ita coniunctim colligatis, vt vno aliquo lebetum percuſſo viciſſim omnes reſonarent, quò reſpexit Vergilius in hoc verſu.

*Suid. in fragmentis.*

3. æneid. *Ingens ærgentum, Dodonæoſque lebetes*

Modus autem quo hic reddebãtur Oracula, horrẽdus eſt, ſiue Dæmon per quercum loqueretur.

13. Metamorph. *Vocalemque ſua terram Dodonide quercu.*

Siue

Siue per columbam quæ in fago residens consulentibus humana voce futura prædiceret : Vtrumque enim fieri potuit arte Dæmonis: Sic primis parentibus per serpentem, Pythagoræ per fluuium, & Apollonio per vlmum olim loquutus est, vt Iamblichus & Philostratus referunt. Non audienda igitur hæc verba seruij in nonam eclogam, *in epiro dicitur nemus fuisse in quo responsa dabant columbæ, quod ideo fingitur, quia lingua thessala a peliades & columbæ & vaticinatrices vocantur*, non audienda (inquam) quia seruius Grammaticorum more (in quorum numero ponitur) acrius verbi etymon quam rei historiam

Ex *Philostrato, in vita Apollon.*

inquirens, verbo ſtudium affixit, rem alijs indagandam reliquit.

Sed vt eò redeam quò diggreſſus ſum, & reliquos geſt° Dęmonis Mimicos in hac tabella depingã: occurrit tẽplum Delphicũ quod æmulo eius ſtudio extructũ fuiſſe pene ſimile Dei templo quod erat Hieroſolymis multi aduertunt: hoc igitur mox oſtendam ſeriem ſequens hiſtoriæ, nam poſt Oracula Dodonæ & Ammonis anno mundi 2670. quibus Dæmon haud habuit vetuſtiora, floruit ſtatim Delphicum, & poſt Moyſis tabernaculum extructum eſt Dei templum Hieroſolymis in quo & diuina oracula reddeban-

turr. Sagax Dæmon & ſolers mimus eſt, quoties aliquid diuini operis Mimice effingere ipſi conceditur. Dicet aliquis me hic teſſellas aliquas curioſi⁹ intexere, ſed Genebrardum ſequor in his quæ ex eò ſupra attuli, facile enim eſt inuentis addere: Denique quæ de fraude & arte Dæmonis inquiruntur, fidem excitant, & ſine dente inuidiæ a lectore æqui bonique debent conſuli.

## QVID DÆMON

*Mimice egerit Vt ſuum templum Delphicum fuerit ſimile Dei templo quod erat Hieroſolymis.*

### CAP. XXI.

CVM ante Chriſti natalem, Deus .O. .M. in Iudæa tantum coleretur, & ſuum illud celebre templum haberet Hieroſolymę Dæmon cuius tunc imperium late patens vnum etiã celebre habuit, idque Del-

phis. Ad Illud vndequaque confluebat populus ſacrificandi & orandi gratia: Ad iſtud pari concurſu ex remotiſſimis mundi plagis.

Templum Solymorum erat in medio terræ verſus orientem. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*, & Dæmonis templum Delphicum in mundi centro & quaſi vmbilico conſtitutum vndeapud Græcos dictum eſt ὀμφαλὸς i. vmbilicus. *Pſ.* 73.

——*O ſancte Apollo*
*Qui vmbilicum certum terrarum obtines.*

*Varrol. 5. de lng. Latina l.* 10. *Metamorph. fabula* 1.

Ait vetus Poeta apud Varronem, & Orphæus apud Ouidium canens de hyacintho.

*Te meus ante omnes genitor dilexit, & orbe*
*In medio positi caruerunt præside Delphi.*

Et vergilius in miscellaneis.

*Pallas cecropias tuetur arces*
*Delphos Pythius orbis vmbilicum.*

Qui omnes forsan ex Sophocle

*Sophocl. in œdipo.* ἔκέτι τὸν ἀδικτον ἐμὲ.
γᾶς ἐπ' ὀμφαλὸν σέβειν

1. Non amplius iam eo
Ad terræ vmbilicum vt sacrificem.

Et quamuis computatione geographica id non constet, vt multis impugnat

varro irridetque, Græcos tamen id credidiſſe Plutarchus & Strabo authores ſunt : fabulam addentes quam refert Pindarus confingens ab Ioue duas dimiſſas Aquilas in hoc eoiſſe loco, vnam ab ortu, alteram ab occaſu. Quidam autem dixere Coruos: & ait Strabo in templo fuiſſe vmbilicum pendentibus ornatum vittis, cui duæ, quæ fabulæ argumento, incumberẽt imagines aquilarum: cæterum ſi non in mundi centro, in medio ſaltẽ vniuerſæ Greciæ & intra & extra Iſthmum, ſitum fuiſſe nemo ambigit.

*Plutarch. l. de defectu oraculor. Str. l. 9. Geograph.*

Templum Solymorum erat ſitum in monte Sion vt colligitur ex primo Macha-

l. 1. Macha. cap. 4. bæorum. *Ascenderunt in montem Sion & viderunt sanctificationem desertam & atare profanatum, & in atrijs Virgultanata* & passim ex Esaya vt capite octauo *a Domino qui habitat in monte Sion.*

Templum Delphicum situm etiam erat in monte Homero & Plutarcho testibus. Nec id tantum æmulatus est Dæmon in hoc fano, sed passim. templum Iouis Olympij quo haud fuit Romę celebrius in colle eminebat.

Plutarc. in Æmilio.

4. æneid. ——*Hunc (inquit) frondenti vertice collem*
*Quis Deus incertum est, habitat Deus, Arcades ipsum*
*Testantur se vidisse Iouem.*

Imò nullus fere mons extitit in tota Grecia ante Christi natalem qui sacellũ cuiusdam Dæmonis non habuerit. Hinc Hieremias quasi gemens & conquerens, *vere* (inquit) *mendaces erant colles & multitudo montium, vere in Domino Deo nostro salus Israel.* Sed vt eo quo diggressus sum redeam. Hiere. 3.

Extra & penes templum Hierosolymæ erat piscina. Et extra Delphicum ingens stagnum.

——— *S. stagna petit cyrrhea bacchi*
*Interfusa lugo.* Statius l. 1. Thebaid.

Intra templũ Hierosolymę, erat aquarum copia, & ea quidem ad lauandum

cruorem victimarum, *fecit quoque Salomon mare fusile decem cubitorum a labio vsque ad labium rotundum id circuitu &c.* Et intra Delphicum aquæ fons eidem rei inseruiens, de quo Probus, *Calius* (inquit) *fons est Delphis in Apollinis Oraculo qui abluit ipsam aram Dei, dictus a Castalio Delphici Apollinis filio, vel (vt alij) a Castalio patre thyiæ, vnde thyiades bacchæ Nymphæ vocatæ sunt.*

l. 3. Reg. c. 7.

Probus Gramm.

Templum Hierosolymæ summè locuples, thesauris scatens, auro, argentoque intermicans: hic decem aurea candelabra calamis imo & emunctorijs aureis, mensæ totidem ex auro solido, centũ aureæ phialæ & mille argenteæ. Aureum altare oraculi & altare thymiama-

2. Paralipom. 4.

tis aureis vestitum laminis: propitiatorium aureũ, duo Cherubin incubantes propitiatorio ex auro etiam solido: Imo & templi tectum aureis horrebat verubus, & etiam *pauimentum domus texit Salomon auro intrinsecus & extrinsecus, & nihil erat in templo quod non auro tegeretur.* Quod aurum erat in cælaturis cedrinis ad maiorem ornatum. nam parietes omnes cedro tegebantur. Stabant etiam in templi atrijs quædam domunculæ thesauris templi asseruandis destinatæ, quæ gazophylacia vel pastophoria (vt septuaginta vertunt) & vulgo exedrę dicebantur. *Dedit Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus & templi & om-*

Esdræ. 1. *de mille argenteis*

3. Reg. c. 6.

1. *Para-lipom. c. 28.* *nium quæ cogitauerat atriorum & exedrarum per circuitum* in thesauros domus domini, & in thesauros sanctorum.

Hæc obiter de thesauris qui erant in templo Dei Hierosolymę. Dęmon vt diuinorum operum (sicut diximus) ita etiam & diuinæ glorię ęmulator parem fere habuit gazam in templo Delphico: Hic tripus (ex quo Oracula reddebantur) ex auro solido. Teste Plutarcho & Aristophane in Pluto.

——— τῷδέ λοξία

*Scena.* 1. Ος θεσπιωδει τρίποδος ἐκ χρυσιλάτυ

1. *Et Phæbo*

*Qui res diuinas canit de suo aureo tripode.*

Hic victarum gentium opima ſpolia, regum donaria, vrbium Anathemata, veſtes aureę, phialę aureę. qualis illa quam, ait Iſaaci, Homeri verſibus inſcriptã. Illic dicatam fuiſſe a filijs medi. Hic Grecię ciuitates theſaurõs paratos locabant, & ipſimet reges vt Creſus eiuſque Pater Aliates, & Italorum plerique ac ſiculi. Imo nuſpiam fere Grecorum armis deuicta natio, quin duces locupletiora ſpolia, aut decimam eorum partem donum Apolloni Delphos miſerint. Quem morem a Gręcia Romani tranſiſſe etiam ab ipſis Romę naſcentis incunabulis video in decurſu hiſtoriæ: Nam vix anno 300.

*Iſacius lycophr. interp.*

*Strab. l. 9*

ab vrbe condita, Camillus in expugnatione veiorum, cum desperata ope humana fata & Deos inuocaret. Obsidionis anno decimo, prædæ decimam Delphis vouet. *Tum Dictator* (verba sunt liuij) *auspicato egressus cum edixisset vt armamilites caperent. Tuo ductu* (inquit) *Pythice Apollo tuoque numine instinctus pergo ad delendam vrbem veios tibique hinc decimam partem prædæ voueo* quo voto irrito veis captis, incertum an Ducis incuria, aut militum pertinacia, coorta Romæ graui seditione inter plebem & senatum: tunc Camillus cõcionatus est furere ciuitatem eo quod religione se exoluendi curam depone-

*Liuius l. 5.*

ret. Cumque ea diſceptatio anceps ſenatui viſa delata ad populum eſſet, re ad Pontifices delegata adhito camillo: viſum Collegio quod eius ante conceptum votum veientium fuiſſet, & poſt votum in poteſtatem populi Romani veniſſet, eius partem decimam Apollini ſacram eſſe, Ita in æſtimationem vrbs agerque venit, pecunia ex ærario prompta, vt aurum ex ea coemeretur negotium datum, cuius cum copia non eſſet: Matronæ aurum & omnia ornamenta ſua ſponte in ærarium contulerunt. Grata res ſenatui: Itaque pondere ab ſingulis auri accepto æſtimatoque vt pecuniæ ſoluerentur, crate-

ram auream fieri placuit quæ Donum Apollini Delphos Mitteretur. Quod idem affirmat Plutarch⁹ his bis ἔδοξε κρατῆρα χρυσοῦν Κατασκευάσαντας εἰς Δελφοὺς ἀποστεῖλαι Et quamuis crateræ pōdus pondus non scribat liuius, refert tamen Plutarch⁹ fuisse ponderis ὀκτὼ ταλάντων id est octo talentorum, quæ nostro calculo ad pretium 4800. aureorum nummoredigi possunt. Et aliquo temporis interuallo post Marcelli victoriam de gallis relatam idem fecere ῥωμαῖοι τὴν νίκην ἐκείνην Καὶ τοῦ πολέμου τὴν Κατάλυσιν οὕτως ὑπερηγάπησαν ὥστε Καὶ τῷ πυθίῳ χρυσοῦν Κρατῆρα ἀπὸ λύτρων εἰς Δελφοὺς ἀποστεῖλαι χαριστήριον. i. Romani hanc victoriam bellique exitum tanti fecere vt craterem au-

Plutach. in Camil.

Plutarch. in Marc.

reum centum pondo gratiæ referendæ cauſa Apollini pithio Delphos miſerint. Et quintus flaminius Roma in Græciam miſſus vt Græcos a tyrannide liberaret. Bello perfecto & ſeruitutis iugo à Græcis excuſſo clypeos argenteos & ſcutũ quo in pugna contra Philippum regem Macedonum vſus fuerat & coronam auream eidem dedicauit. Ibi etiam gygę & Crœſi & regũ lydiæ pretioſa munera videbantur, offerentium ( vt ait Strabo ) inſcripta nomine. Reges theſauros paratos locabant & pecunias conſecrabant. Denique nullus fere illuc tendebat, vt oraculum conſuleret, ſine donario. Qua de re facete & *Strab. l. 9.*

luculenter Lucianus in pſeudomanti. Δελφοὺς ἔτω πάλαι πλουτῆσαι καὶ ἀοιδίμους γενέσθαι καὶ δῆλον καὶ κλάρον καὶ βραγχίδας τῶν ἀνθρώπων δι' οὓς πρεῖπον τυράννους τὴν ἐλπίδα καὶ τὸν φόβον φοιτῶντων ἐς ἱρὰ, καὶ προμαθεῖν τὰ μέλλοντα δεομένων, καὶ δι' αὐλὸ ἑκατόμβας θύοντων, καὶ χεισᾶσ πλινθυς ἀναλιθέντων.

*Id eſt: hac via Delphos olim fuiſſe ditatos factoſque celebres, nimirum hominibus per hos quos modo dixi tyrannos, nempe ſpem ac metum ad ſacra confluentibus, ac futura prædiſcere cupientibus, atque huius rei gratia hecatombas immolantibus, aureoſque dedicantibus lateres.* Nec Dæmon ſiue Apollo ſui erat immemor in eiuſmodi oraculis, & in ipſo Romanis reddito ſupra clade veientium hæc erant verba. *Bel-*

*lo perfecto donum amplum In mea templa portato.* Porro quantæ fuerint gazæ in hoc fano indicat Homerus his versibus.

οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει
Φοίβου ἀπόλλωνος πυθοῖ ἐνὶ πετρήεσση. *Iliad. 1.*

1 *Nec quod marmoreis pitho petrosa recludit*
*Sedibus excelsas habitat quas*
*Phœbus Aphetor.* *Ælianus l. 6.*

Quod versus nõ tantũ affert Strabo, sed etiam Ælianus vbi de thesauro a Delphis quæsito in Pithone. In quibus notandum nomen ἀφήτορος quod Apollini Homerus tribuit : dicebatur enim Apollo ἀφήτωρ quasi emissor ab emittendis & edendis oraculis vt Hesychius recte adnotat. Sed

luculenter Lucianus in pseudomanti. Δελφοὺς οὕτω πάλαι πλουτῆσαι καὶ ἀοιδιμοὺς γενέσται καὶ δῆλον καὶ κλάρον καὶ βραγχίδας τῶν ἀνδρώπων δι' οὓς προεῖπον τυραννοὺς τὴν ἐλπίδα καὶ τὸν φοβον φοιτων τῶν ἐς ἱέρα, καὶ προμαθεῖν τὰ μέλλοντα δεομένον, καὶ δι' αὐτὸ ἑκατόμβας θύοντων, καὶ χρισᾶς πλινθους ἀνατιθέντων.

*Id est: hac via Delphos olim fuisse ditatos factosque celebres, nimirum hominibus per hos quos modo dixi tyrannos, nempe spem ac metum ad sacra confluentib⁹, ac futura prædiscere cupientibus, atque huius rei gratia hecatombas immolantibus, aureosque dedicantibus lateres.* Nec Dæmon siue Apollo sui erat immemor in eiusmodi oraculis, & in ipso Romanis reddito supra clade veientium hæc erant verba. *Bel-*

*lo perfecto donum amplum In mea templa portato.* Porro quantæ fuerint gazæ in hoc fano indicat Homerus his verſibus.

οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει
Φοίβου ἀπόλλωνος πυθοῖ ἐνὶ πετρήεσση. *Iliad. 1.*

1 *Nec quod marmoreis pitho petroſa recludit*
*Sedibus excelſas habitat quas Phœbus Aphetor.*

*Ælianus l. 6.*

Quod verſus nõ tantũ affert Strabo, ſed etiam Ælianus vbi de theſauro a Delphis quæſito in Pithone. In quibus notandum nomen ἀφήτορος quod Apollini Homerus tribuit : dicebatur enim Apollo ἀφήτωρ quaſi emiſſor ab emittendis & edendis oraculis vt Heſychius recte adnotat. Sed

*Strab l 9. Geograp.* aliam affert Strabo huius nominis etymologiam, eãque torquet ad theſaurum de quo hic loquimur, ſunt (inquit) qui Aphetorem theſaurum dici approbent, & Aphetoris limen, defoſſos in templo theſauros ſub terra opeſque depoſitas aſſerant, conatumque Onomarchum noctu theſauros illos effodere, magnis quidem in terra factis terremotibus extra templum euolaſſe, & effoſſioni finem impoſuiſſe, alijs etiam ne talia tentarent pauorem incuſſiſſe: hęc ille, ſed vnde Aphetor ſtheſaurus ille diceretur vel dici poſſet ne gry quidem apud ipſum repperio. Attamen lucem mihi affert heſychius qui hanc vocu-

*Straboni lux, & homero.*

lam enucleans, ἀφετοὶ (inquit) *etiam dicuntur Deo dicati* ex quibus verbis, intelligo hunc thesaurum dictum fuisse Aphetorem quasi Deo dicatum & consecratum : & de vtraque nominis etymologia intelligi etiã poterũt homeri versus sup. citati. Denique quantũ fuerit donaria illuc mittẽdi omnium studium liquet ex eo quod Hieron syracusarum tyrannus vndequaque aurum quęsierit vt aureum tripodem Apollini Delphico consecraret.

Thesaurus templi Hierusalem intactus Deoque sacer summa cura asseruabatur, & Antiochus illius raptor infœlici morte mulctatus sacrilegij pœnas luit : licet enim onustus templi

ſpolijs domum redierit, poſtea tamen muſca perijt, quæ per nares ingreſſa, ſummo cruciatu depaſcebatur eius cerebrum, ſiue vt volunt alij, vermibus toto corpore pullulantibus. Heliodorus quæſtor Syrius ad coſdem theſauros compilandos templum ingreſſus territus eſt tali ſpectro: viſus eſt eques armatus prioribus in eum pedibus inſilire, iuxta quem bini ſatellites robuſti, & veſte inſigni ſplendidi, flagris eum ad terram ſtrauerunt, vt lectica è templo elatus ſit ſemianimis.

*Genebra. l. 2. Chronol. ex Rabinis.*

*2. Mach. 3.*

Mirum quoque eſt quam fuerit Dæmon Zelotypus gazæ Delphicæ. Brennus gallorum rex prędæ cauſa

templum ingreſſus, ſocijs contuſis fulmine, ſua manu ſe interemit.

*Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum*
*Dum petit intonſi Pythia regna Dei.* *Propert. l. 2.*

Et patrata a Phocenſibus vaſorum templi expilatione, inde phocenſe ſacrum (ita enim vocant) exarſit bellum: Imo quidam apud Strabonem ideo aurum toloſanũ. Q. Cæpioni tam funeſtum fuiſſe exiſtimant, quod prõptum è Delphis, aſportatum illuc fuiſſet. Sed (quod ſtupendum) cum donaria ex templo direpta fuiſſent ea demum a ſacrilegis defoſſa lupus indicauit, *Strabo l. 9.*

quĩ (vt aiunt) intra templũ ingreſſus, vnum é Sacerdotibus (mordicus veſtem eius trahens) ad locum deduxit, vbi theſauri defoſſi fuerant, ibique pedibus ſcalpſit, ad cuius rei memoriam, in tẽplo lupi ſimulachrum ex ære poſitum ab eo tempore ſemper ſtetit. Porro tanta loci reuerentia & tantus honor, vt inde nata fabula de Phlegia ad inferos truſo, ob templi incendium.

——— *Phlegyasque miſerrimus omnes*
*Admonet & magna teſtatur voce per umbras*
*Diſcite Iuſtitiam moniti & non temnere diuos.*

6. aneid.

Sed a theſauris vtriuſque templi ad reliqua tranſeamus.

mus.

In templo Hieruſalem tria præcipuè, porticus, Arca, & penetrale. Tria paritet in Delphico, veſtibulũ, Antrum Dæmonis ſiue Apollinis & tripus.

Penetrale templi Hieruſalem nemini licebat ingredi niſi ſummo Pontifici, etiam pœna mortis propoſita (vt ſcribit Philo), Et in Delphico ſpeluncam Apollinis nulli pariter licebat ingredi niſi Pythiæ, & multi eius adytum penetrare temere auſi a Dæmone ſiue Apolline ſtrangulati ſunt.

Ecce quàm vafer Dæmõ, quàm mirè pingat & fingat, & loca tenebrarum diuinis adumbret coloribus. Ecce verſutus pictor quam

cautè Dei colores ſuffurans pictura vmbratili homines falleret. Cæterum hæc tẽpla erant toto cælo diſparia. de illo verum erat encomiũ *Templum Domini, templum Domini.* De iſto vero *templum Dæmonis, templum Dæmonis.* In illo Deus loquebatur vt promiſerat Moyſi, *præcipiam & loquar ad te de propitiatorio.* In iſto Dæmon & horribili quodam ritu vt mox dicam. In illo ſpiritus veritatis: in iſto ſpiritus erroris iuxta illud Apoſtoli, *attendentes ſpiritibus erroris, ſpiritibus Dæmoniorum.*

*Num. 7.*

*D. Paulus 1. ad Timot. 4.*

In illo Dei reſponſa reddi ſolita erant luce clariora quia ab ipſamet luce. In iſto vero ſinuoſa, ambagibus obſita, & obſcura quip-

pe à Patre tenebrarum. Promiſſis igitur ſtandum, videndumque quo ritu horrifico Dæmon in hoc ſuo fano ſua Oracula ederet.

## DE SPECTRIS IGneis Templi Delphici & quæ magiæ ſpecies inde effluxerint.

### CAP. XXII.

SVB nulla vmquam ſpecie tam crebro apparuiſſe Dæmonē ſuis ſequacibus quam ſub ignea, ſatis teſtatur Iamblichus inſignis Maleficus in ſuo libro de myſterijs & preſertim in

capite quod inſcripſit. *Quãdo alia numina aliter appareant atque agant* vbi poſt varia commenta de igne Angelorum, herorum, & Dæmonum, ſubiungit de Dæmonibus *ſinguli* (inquit) *cum apparent oſtendunt prouincias, ſorteſque, quas ſortiti inhabitant aerij quidem ignem aerium, terreni vero terrenum atque nigrum, cæleſtes autem ignem ſplendidiorem.* Quod ſcribit non ex ſcientia ſed experientia ob ſimiles viſiones quæ ſibi, & ſocijs creberrime apparuerant. Nec eſt abſonum, Deum .O. .M. Ilbentius Dæmoni igneum ſpectrum concedere vt oſtendat maleficis vmbram flammę quæ eos manet.

Dæmon itaque in hoc

fano Delphico (quo non habuit celebrius) inter cætera quæ horrifice perage-bat. Pythiæ ſedenti in tripode ad reddenda oracula, ſub ignis ſpecie apparebat. *Sibylla in Delphis* (ait Iamblichus) *duobus modis ſuſcipiebat Deum vel per ſpiritũ quendam tenuem igneumque, qui erumpebat ex ore antri, vel ſedens in adyto ſuper ſedem æneam*, & vt oſtendat hunc afflatum ſæpius per ignem factum quàm aliter, ſubiungit. *Itaque aliquando ignis plurimus ſimul totus ex antro euolans, vndique circumfunditur ei.*

*Iublich. ibid. c. in ſpiritus vacat.*

Hic primus ritus horrendus ſane eſt. Sed non minus horrenda ea magiæ ſpecies, quæ inde effluxit, videlicet pyromantia, hoc eſt

per ignẽ diuinatio, quã Papinius perelegãti Carmine ſic expreſſit in Thebaide.

*Vincatur pietas t pone eia altaria Virgo*
*Queramus ſuperos, facit illa, acieque ſagaci*
*Sanguineos flammarum apices, geminumque per auras*
*Ignem, & clara tamen mediæ faſtigia lucis*
*Orta docet, tunc in ſpeciem ſerpentis inanem*
*Ancipiti gyro volui, ſrangique rubore*
*Demonſtrat dubio, patriaſque illuminat vmbras.*

Vbi obiter tangit, diſſidium, quod ex gemino flammæ apice iuxta artis præcepta portendabatur. Quæ lues quàm late deinde fuſa ſit, lego apud Tranquil-

lum, vbi agit de Octauio patre Augusti de filij magnitudine & imperio consulente. *Octauio* (iuquit) *postea cum per secreta thracyæ exercitum duceret, in liberi patris luco barbara cærimonia de filio consulenti, idem affirmatum est a sacerdotibus: quod infuso super altaria mero, tantum flammæ emicuisset, vt supergressa fastigium templi ad cælum vsque ferretur: vnique olim omnino magno Alexandro apud easdem aras sacrificanti, simile prouenisset ostentum.* Quæ quidem diuinatio nonnisi circa res magnas exercebatur, vt circa omen imperij, principum clades & bella, prosperos aut improsperos eorum exitus. Nec Dæmõ obmisit quidquam vt eam

*In Augusto. c. 94.*

ſuperſtitionem foueret. Videre eſt in eodē Tranquillo qui agens de Liuia matre Tiberij, dum regnum filij, varijs captaret ominibus, & *ingreſſo* (inquit de Tiberio) *primam expeditionem ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit, vt apud Philippos ſacratæ olim victricium legionum, ſponte ſubitis collucerent ignibus.* Quod oſtentum adhuc clarius antea viderat in filij pueritia, dum *per Siciliam & Achaiam circumductus, digrediens inde itinere nocturno, diſcrimen vitæ adijt: flamma repente è Syluis vndique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa, vt Liuiæ pars veſtis & capilli comburentur.* Imo ipſe Tiberius ob talia & conſi-

*In Tiberio cap.* 14.

*ibid. cap.* 6.

milia eò venerat ſuperſti-
*Ibid.cap. 19.* tionis, vtipſi oſtenta quę-
libet, niſi quæ ex igne & lumine, dirum portenderent, qua de re luculenter idem Tranquillus. *Prælia quamuis minimum fortunæ caſibusque permitteret, aliquanto conſtantius ineibat, quoties lucubrante ſe, ſubito ac nullo propellente, decideret lumen, & extingueretur, confidens, vt aiebat, oſtento, ſibi ac maioribꝰ ſuis in omni ducatu expertiſſimo.*

Huc etiam ſpectabat Capnomantia hoc eſt per fumum diuinatio, & omnibus tetrior, fulguralis, (id
*Fulgurationis magia.* eſt per fulgur & fulmen olim apud Romanos celeberrima, fulmina enim tam publicè quam priuatim obſeruabant, (vnde apud eos

publica & priuata fulmina) quædam vocabant *peremptalia*, quæ prodigiorum ſignificationes perimerent, quædam *poſtularia*, quod ſpretam vel omiſſam religionem repoſcerent, quædam *peſtifera*, quibus, nempe, interitus aut exilium, vel aliqua clades denunciaretur. Imo ex hetruſca diſciplina Sacerdotes in vrbe habebant qui fulmina ipſa, arte magica procurarẽt ex quo in decemuiralibus legibus.

*Sacerdotes cæli fulgura regionibus ratis temperanto*
*Procurãto fulgura & obſita pianto.*

De qua magice euocandorum fulgurum, intelligendum illud Plinij, *extæ*

Plin. l. 2. c. 53. *annalium memoria ſacris quibuſdam precationibus vel cogi fulmina vel impetrari. Vetus fama eſt, Hetruriæ impetratum, Volſiniis & urbe & agris depopulatis ſubunte Monſtro quod vocauere Voltam.* Quam magiã Numa apud eos induxerat, dum Ioui elicio (ab eliciendis fulminibus ſic vocato) aram in Auentino dicauit. De quo Liuius, *quæ prodigia* Liu. l. 1. (inquit) *fulminibus alioue miſſa ſuſciperẽtur atque curarẽtur ad ea elicienda ex mentibus diuinis Ioui elicio aram in Auentino dicauit.* Et ipſe Numa (vt refert Plinius) ful- Plin. l. 2. c. 53. mina ad libitum euocabat, ſicut etiam Porſenna rex Hetruriæ, & Tullus hoſtilius exemplò Numæ idem moliens fulmine conflagra-

uit. Nec mirum? Dæmon enim de more habet eos sæpe qui sua sacra non rite obeunt, interimere. Scribit quoque Suetonius Auũ Galbæ Imperatoris fulgura procurasse. Nec aspernãda, quæ refert contigisse, talia procuranti, Auo eius (inquit) fulgur procuranti, cum exta de manibus Aquiquila rapuisset, & in quercum contulisset, summum sed serum imperium portendi familiæ responsũ est, & ille irridens, *sane* (inquit) *cum mula pepererit*, nihil æque postea Galbam tentantem rex nouas confirmauit quã mulæ partus, cæterisque vt obscænum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit, memor sa-

*In Galba* c. 4.

crificij, dictiue aui. Nec aſpernanda (inquam) quis enim ex his non videt Dæmonẽ huic magiæ apud eos fouendæ enixius ſtuduiſſe, cũ oſtenta oſtẽtis & prodigia prodigijs confirmaret. Quod quidem & paſſim lego, nam & vt author eſt Plinius, in catilinianis prodigijs Pompeiano ex Municipio. M. Herennius Decurio Sereno Die fulmine ictus eſt, & vt refert Tranquillus, Auguſto reuerſo ab Apollonia & vrbem ingrediente repente liquido ac puro ſereno Iuliæ Cæſaris filię monumentum fulmine ictum eſt. Nec mirum ſi miſer Auguſtus ita tonitrua expaueſceret, vt ſemper & vbique pellem

*Plin. l. 2. c. 52.*

*In Auguſto cap. 95.*

*cap. 29.*

vituli Marini circumferret pro remedio, atque ad omnem maioris tẽpeſtatis ſuſpicionem in abditum & cõcameratum locum ſe reciperet. Dæmon enim hunc metum fulguris non tantum eius animo indidit, dum tonanti Ioui ædem conſecrauit, ſed ipſi, quandiu fere vixit prodigijs conſimillibus confirmauit, vt enim Polypus ſe piſcium quos venatur, naturæ accommodat, ſic ille hominũ genio, quos vult fallere.

Omitto reliqua quæ in hanc rem dici poſſent, de templo Iouis fulguratoris in vrbe celebri, de fulguritis arboribus, & libris Begoes Nymphæ quæ apud thuſcos artem ſcripſerat ful-

guritarum, qui libri ſimul cum Sibyllinis in Capitolio ſumma veneratione aſſeruabantur. Nec Græciam caruiſſe hoc contagio lego apud Strabonem *obſeruabãt* (inquit loquens de Bœotijs) *ad menſes tres ſiugulis mẽſibus tres dies, noctesque totidem è Iouis fulguralis foco qui eſt in muro inter Pythium & Olympium.* Et profecto nihil Dæmon aptius eligere poterat ut populos religione ſimul ac metu aſtringeret.

Strab. l. 9.

——— *Cæcique in nubibus ignes*
*Terrificant animos.*

Æneid.

Hanc Pyromantiam in genere, quæ a ſpectris igneis templi Delphici emanauit, merito horrendam

vocaui non tantum propter ritum quàm ob mortem hanc profitentium. Infælici enim morte fere omnes & plerumque igne occumbere plane conſtat. Idque quaſi ex decreto diuino vt igne pereat qui ignem vendidit. Exemplo ſit Amphiaraus Pyromantiæ peritiſſimus, quem prius ictum fulmine cum curru & armis terra abſorbuit: ſicque infælix infælicis artis magiſter cuius & author credebatur) vt alter Epeus ſua-met arte perijt. Et quamuis ſint qui aſſerant hauſtum quidem à ſciſſa prope Thebas tellure, ſed non de cęlo tactum, eum tamen prius ictum fulmine, (ſicut dixi) Strabo innuit, afferens in-

*Amphiaraus ignis ſpicia inuenit. Plinius l. 7. c. 56.*

de ortum illud prouerbium

Strab.l.9 *quando per harma fulgurauerit* per arma (inquit) id eſt per pagum Bæotiæ qui ab Amphiarai curru nomen adeptus eſt. ἅρμα enim currum ſignificat; & exinde (vt ait) loci accolæ eo tempore ſacrificium Delphos mittebant, cum fulgura cernerent. Tullo hoſtilio Romanorum regi idem Obtigit dum Magiæ fulgurali incũberet, de cuius morte fere ſimili ſic liuius, *Ipſum regem*

Liuius l. 1. *tradunt voluentem commentarios Numæ, cum ibi quędam occulta ſacrificia Ioui Elicio facta inueniſſet, operatum his ſacris ſe abdidiſſe, ſed non rite initum aut curatum id ſacrum eſſe: Nec ſolum nullam ei oblatum cęleſtium ſpeciem, ſed ira Iouis ſollicitati praua religione fulmine ipſum Cum domo conflagraſſe* Zoro-

aſtrem autem qui primus ſuſurro magico ignem traxit, igne etiam periiſſe ſatis fuſe ſupra viſum eſt.

Sed hæc ſufficiant de hoc primo ritu ſpectroque igneo templi Delphici, & de magice quę inde effluxerit? Sed dicet aliquis (cui forte ſaliuam mouero)? quiſnam Dęmon & cuius naturę, qui ſe ita ſub ignis ſpecie Phæbadi ſedenti in tripode offerebat? cui ſane vt ſatisfaciam, non morabor.

## DE VENTRILOQVO

*Spiritu ſeu Pythonico, qui Pythiam afflabat ſedentem in tripode.*

### CAP. XXIII.

DIXI triſtia & horrenda poſtremo capite, dicam iam lepida & faceta: Dæmonem enim hic deſcribo, non modo mimum ſed pantomimum, iam vultu hilari, iam ſubſtriſti? Quid enim non luſit, & quid non ludet ad poſtremam orbis periodum vt

homines in fraudem agat? Dixi (inquam) quomodo ſub ignis ſpecie Pythiæ ſe offeret, ipſamque circumdaret, ſed ecce quomodo omni deinde excuſſo metu talis ſpectri, quaſi iocans & laſciuiens per pudendas & genitales partes ipſam afflaret, mirabitur forte quiſpiam, ſed, *traditur* (verba ſunt Diui Chryſoſtomi) *hæc Pythia fœmina fuiſſe quę in tripode ſedens expanſa malignum ſpiritum per inferna emiſſum & per genitales partes ſubeuntem excipiens furore repleretur, ipſaque reſolutis crinibus debaccharetur ex ore ſpumas emittens, & ſic furoris verba loqueretur.* Vbi Diuus Chryſoſtomus ſequtus eſt Ariſtophanem & eius interpretem quem ita habebat ad manus vt eo quaſi pulpito vteretur, ſe-

*D. Chriſoſt. orat. ad Corin. c. 12.*

qutus (inquam) quasi ad verbum: sic enim ille in Pluto πυθία γυνή ητις ὥς φάσιν ἐπι Καθιμένη τῷ πρίποδι τοῦ Απόλλωνος Καὶ διαιροῦσα τῷ σκέλη πονιρὸν Κάτωθεν ἀναδιδόμενον πνεῦμα διὰ τῶν γεννητικῶν ἐδεποῦσα, quo argumento Origenes aduersus Celsum probat, non fuisse hic Deum sed Dæmonem nec mulierem numen concipere per eas partes, quas conspicere nefas pudens vir ducat, *de Pythia vero* (inquit) *proditum est, vt quæ cæteris vatibus in edēdis Oraculis videatur celebrior, quemadmodum castalium os insidens Apollinea vates, ex inferiorique & muliebri sinu, suscipiat spiritum, quo plena, Oracula reddat.*

*Interp. Aristoph.*

*Origen. l. 7. aduers. Celsum.*

Sed (quod etiam scitu dignum) Dæmon non nisi

cum vento acerrimo exiliebat è ſpelunca, cui, tripus imminebat. Mira geſticulatio? cum mox vidimus ſub ignis ſpecie, iam ſub vento cuius impetu non tantum tripus & hoſtiæ ſed ipſamet templi limina & parietes quatiebantur. Quod Maro ſcite expreſſit in hoc carmine.

——— *Tremere omnia viſa repente*
*Liminaque lauruſque Dei.* 3. æneid.

Nec minus lepide Claudianus, dum ſtrepitum huius venti mugitum appellauit.

*Quidquid fatidico mugit cortina receſſu.* in epigra. ad æternal.

Dicebant autem tunc in templo Sacerdotes & aduenæ *Deum aduentare* & hũc

ventum non ita vehementer flare, nisi *aduentante Deo*, tumque vera reddi oracula, vt eo non flante falsa, ita vt *Deum aduentare*, & *Deo aduentante* essent quasi verba concepta & pontificia.

——*Deus ecce Deus, cui talia fanti*
*Ante fores subito non vultus, non color vnus*
6. æneid. *Non compta mansere comæ.*

Quò etiam respexit Maro in Proserpinæ vaticinio.

3. æneid. ——*Visæque canes vlulare per vmbras*
*Aduentante Dea.*

Et sicut *Deum aduentare* erat verbum conceptum & solenne, sic etiam Pythia sedens in tripode dicebatur Deum excutere dum Oracula redderet.

*At nondum Phœbi patiens immanis in antro*
*Bacchatur vates, magnum si pectore possit*
*Excussisse Deum.* 6. aenid.

Vbi Maro & supra, licet ex persona Sibyllæ, Pythiam tamen furentem & hũc ritum fani Delphici, (de quo hic loquor) rite descripsit.

Sed quia promisi me dicturum de natura huius Dęmonis genitales partes Sibyllæ adorientis: vt paucis promissa exequar, (hæc enim a plurimis delibata sunt) huius naturæ Dæmones varijs nominibus appellati sunt, primo & vulgatiori vocabulo Pythonici ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι id est ab interrogando, deinde magis

proprio ἐγγαστρίμυθοι siue ἐγγα-στριμάντεις id est ventriloqui ſpiritus, interdum στερνομάντεις, quod aliquando ſub pectore infra cutem Dæmō ſe oſtenderet, & per pectus loqueretur, qualem ſe vidiſſe ſcribit Cælius rhodoginus, dicti etiam *Eurycleæ* quod Athenis quidam hoc nomine appellatus primus ventre & pectore vaticinatus ſit, vt refert heſychius in expoſitione huius vocis. Hinc facete Ariſtophanes carpens ſuorum verſuum fures.

*Ariſtoph. in veſpis.*

μιμησάμενος τὴν εὐρυκλέους μαντείαν
καὶ διανοίαν
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλά.

*Imitans* (inquit) *Eriucleæ vaticinium & ſententiam*

*In alienos ventres comœdias mutas fuda.*

Sunt qui asserant infirmi ordinis Dæmones hæc peragere, alij vero omnes hos spiritus obscænis delectari vt hominis naturam polluant.

Sed videndum quale istud antrum fuerit, de quo Dæmon iste Pythonicus Pythiam afflaturus, exibat.

## DE ANTRO SIVE spelunca Oraculi, de tripode, de primis templi vatibus, & quid honoris ab eis Dæmon sibi exposceret.

### CAP. XXIV.

DIXI postremo capite fuisse in hoc tẽplo spelũcam, de qua aura mitteretur in supernum os antri, cui tripus imminebat, quotiescumque darentur

Oracula & Dæmonem iſtũ ventriloqum, id eſt afflantem Pythiam per vterum, nonniſi, ſub flatu huius venti è ſpelunca exire ſolitum. Sed quomodo hæc ſpelunca inuenta fuerit' cũ hoc Dæmone qui ab ea ſic flaret aflaretque, furenteſque faceret & diuinantes, ſatis fuſe relatum eſt à Diodoro. Cum paſtor eo loci gregem paſceret: Capella in hunc ſpecum ingreſſa, exiijt ſurens & Phanatica. Miratur Paſtor & rei nouitate allectus in ſpecum tendit, quem ingreſſus furens pariter & vaticinãs inde egreditur. Hinc, paſſim fama euolat, eſſe eò loci ſpeluncam & in ea Oraculum: cuius gratia templum ab inco-

*Diodor. Siculus. l. 16.*

lis ſtatim ſtruitur. Dicet aliquis quomodo Dæmones ſe in loca includant vt in ſpecum, arcam, annulum? Mira res ſed certiſſima vt docet Diuus Auguſtinus. 8. de ciuitate, *Dæmon* (inquit) *arte neſcio qua Statuæ colligatus.*

8. *de ciui.* c. 24.

Cæterum ſi quis vltro quærat: qualis fuerit hæc ſpelunca templi Delphici. Giraldus Ariſtophanis ſcholiaſtes eam deſcribit profundam & oblique ductam (vnde Apollinem λοξίαν id eſt flexiloqum dici poſſe veteres Græci crediderint) Alij tamen à Giraldo diſſentiunt, profundam quidem aſſerentes ſed non obliquam, nec Apollinem λοξίαν appellatum à ſinuoſo

anfractu huius ſpeluncę, ſed ab ambagibus quibus ſua reſponſa obuolueret. Quidquid ſit: Nihil erat in templo quod maiori cultu obſeruaretur Dicebatur locus Oraculorum quia niſi vento ab ea flante nec tripus mouebatur, nec Pythia reſponſa dabat. Dicebatur vocalis ſpelunca, ſiue antrum vocale, quod Dei vox inde effundi crederetur.

——— *Stupet omine tanto*
*Defixus ſenior, diuina Oracula Phœbi*
*Agnoſcens monituſque datos* *Vocalibus antris* *Statius 1, Theb.*

Vnde ipſum templum Delphicum Græci ὀμφὴν appellarunt, quod ὀμφὴ id eſt diuina vox ibi funderetur, vt varro & phurnutus au-

thotes sunt, ad hanc vocem etiam referentes quæ supra diximus de hoc templi nomine ὀμφαλὸς id est vmbilicus, à qua & Panomphæus Iuppiter dictus est.

Non possum tamen quin hic mirer artem Dæmonis, cur enim in hoc templo hæc spelunca, & ex hac vẽtus manans: nisi vt quodam metu & horrore suam ibi religionem obstringeret. Inde etiam sępe in suis templis è spelunca aut infimo solo horrendas emisit voces vt eumdem religionis metum incuteret. Imo quod magis mirum, ex eodem antro quo data Oracula, emissi eius arte pestilentes vapores in signum irati numinis, aut spretæ religionis,

Vt olim in Seleucia cõtigisse poſtquam à Ducibus veri Cæſaris expugnata eſt, refert Marcellinus. Auulſum (inquit) ſedibus ſimulachrum Comæi Apollinis prolatumque Romam in ędes Apollinis Palatini Deorum antiſtites collocarunt. Fertur autem quod poſt direptum hoc idem figmentum incenſa ciuitate, milites fanum ſcrutantes, inuenere foramen auguſtum, quo reſerato vt pretioſum aliquid inuenirent, ex adyto quodam cõcluſo a Chaldæorum arcanis lues primordialis exilijt, quæ inſanabilium vi concepta morborum eiuſdem ſeueri Marci Antonini temporibus ab ipſis Perſarum finibus ad

*Amm. Marcellinus lib. 23.*

vſque Rhenum per Gallias cuncta contagijs polluebat & morbis. Hæc Marcellinus. Vbi ſanè id foramen auguſtum nihil erat aliud quam os antri ad Oracula. In cunctis enim fere templis eiuſmodi, antrum non deerat, vt videbimus. Addit *Concluſo à Chaldæorum arcanis*. Volebat quippe Dæmon vt conclaſia in ſuis tẽplis nec temere, nec ſine horrore numinis nec niſi a ſuis vatibus reſerarẽtur. Et horum contẽptores peſte & morte puniebat vt videre eſt apud Capitolinũ de hac arcula aurea, qua in fano Apollonis Babylonij temere a quodam milite fracta, aer peſtilens ex ea fluens non ſolum præſentes interemit,

*Iulius Capitoli. in Vero Cæſare.*

ſed etiam finitimas regiones contagio infecit.

Sed de antro templi hęc ſufficiant. Sed quia tripus antro iminebat & in eo ſedens Pythia vaticinabatur de eo quoque vt dicamus ordo poſtulat. Deſcribitur à Giraldo Ariſtophanis ſcholiaſte Κρατὴρ μέγας τρεῖς βάσεις δὲ πόδας ἔχων. id eſt, vaſtus crater & velut lebes tribus pedibus ſubnixus. Erat autem ex auro puro & ſolido. Vt ſuprà diximus ex eodẽ Ariſtophane, de Phæbo in hunc modum ſcribente.

Giraldus in Plutu Ariſtoph.

Ος θεσπιωδεῖ πρίποδος ἐχ χρυσιλάτου

1. *Qui res diuinas canit de ſuo aureo tripode.*

Nec humana manu conflatus ſed in templum diui-

nitus miſſus Plutarcho & Laertio teſtibus. Aiunt enim Ionicos adoleſcentes quoſdam, a piſcatorib⁹ Mileſijs iactum retis emiſſe: capto deinde & educto tripode, ortam contentionem non ante ſedatam eſſe, quam Delphos a Mileſijs miſſum reſponſumque ſit ab Oraculo.

*Laert. in Thalete Mileſio.*

*Huic tripodem addico cui ſit ſapientia prima.*

Datur ergo Thaleti, Thaleſque illum alij dat, & rurſus alius alij, donec ad ſolonem ventum eſt, qui Deum primum eſſe ſapientiam aſſerens, illum Delphos miſit.

Sed quia dictum eſt de antro & de tripode qui antro imminebat, dicendum

ſupereſt, quę fuerit prima vates quę ſederit in hoc tripode, Dæmonis edẽs Oracula. Quidam Zenocleam, alij Daphem Tireſiæ filiam, ſed melius, qui primam templi vatem aliam non fuiſſe aſſerunt quam Phæmonoem: Quod ſatis innuit Pauſanias dum loquens de vetuſtate Oraculi Dodonæi, ait illas columbas Dodonidas (per quas Dæmonem futura prędixiſſe ſupra diximus) diu ante Phæmonoem heroicis verſibus Oracula cecinisse: quò loci claro ponit Phæmonoem pro prima vate templi Delphici & quod Plinius è contra ſcribit nos carmen heroicum Oraculo Delphico debere, de Phæmonoe vulgo expo-

*Pauſan. in phocicis.*

*Plin. l. 7. c. 56.*

nitur, quæ hoc carmine Acrisio prima dedit Oraculum, refert enim Eusebius eam annis quinque & viginti ante Linum & Orphæum Acrisio dediſſe Oracula. Hinc Lucanus templi vatem, quam fingit errabundam circa Parnaſſum poſt deffectū Oraculi, vocat Phæmonoem per excellētiam, vt qui potiti imperio a primo Cæſare, Cæſares appellati ſunt.

Lucanus lib. 5.

*Caſtalios circumlatices, nemorumque receſſus*
*Phœmonoem errore vagam, curiſque vacantem*
*Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.*

Ceterùm. Hæc Phæmonoe inſignis fuit veneficа & Aruſpicinæ peritiſſi-

ma, cuius authoritatem ideo citat Plinius vbi loquitur de Augurijs *Accipitrum genera* (inquit) 16. *inuenimus, ex ijs Circon Claudum altero pede prosperrimi augurij nuptialibus negotijs & pecuniariæ rei, triorchem a numero testium, cui principatum in Augurijs Phæmonoe dedit*, & eodem libro decimo capite tertio vbi loquitur de sex generibus Aquilarum, eam citat vt rerum naturalium peritissimam, *tertij generis* (inquit) *Morphnos, Phæmonoe Apollinis dicta fissa dentes ei esse protulit*. Nec mirum cum Dæmonem habuerit pro magistro. Plin. l. 2. cap. 3.

Post Phęmonoē, Daphne, post Dalphnē Zenoclea, post Zenocleā, aliæ atque alię fe-

dere in tripode, & Oracula reddidere, omnes virgines donec vna earum ab Echecrate violata, ſtatutū eſt vt a vetere muliere in habitu tamen puellæ redderentur. Nec hic tantum honorem Caſtitatis ſibi deferri Dæmon voluit, ſed paſſim, quò reſpexit Tibullus in his verſibus.

Tibull. l. 2. eleg. 1.

*Vos quoque abeſſe procul iubeo, diſcedite ab aris*
*Queis tulit heſterna gaudia nocte venus.*

Et Iouis Heliopolitani ſtatuam non ferebant niſi proceres longa caſtimonia puri vt dicam infra ex Macrobio. Vbi Mimicam Dęmonis quis non videt, licet enim plerumque in magicis intendat libidinem vt

hominis naturam polluat (vt dixi & dicam fusius) interdum tamen vt honores Deo debitòs sibi arroget, deflectit ab hac regula, & castos ministros in suis sacris habere appetit, vnde Tertulianus postquam de hac eius Mimica luculenter loquutus est, *habet* (inquit) *& virgines, habet & continentes.*

*Tertul. l. de præscription. hæret.*

Sed, his prænotatis de antro, de tripode, & de primis vatibus huius templi, ad ritus & nugas transeo, cum enim hic loquar de celebriori Oraculo (quod Dæmon vmquam habuerit) in disquirendis eius fraudibus non reor me oleum perdere, cum potissimum CHRISTI ad-

uentu hæ omnes nugæ defecerint.

---

## DE ALIIS RITIBVS, Nugis & præstigijs templi Delphici, & cur carmine Oracula redderentur.

### CAP. XXV.

EVSIOS sum de industria in hoc tractatu. Tãta enim fuit fama huius Oraculi, vt qui ad illud consulendum mitterentur, ante discessum

& poſt reditum, publicè cum regibus epularentur, & aſſupto ipſius Apollinis nomine Pythij vocarentur. *Sunt autem Pythij* (inquit Herodotus) *qui Delphos ad conſulendum Oraculum mittuntur, quique publicè cum regibus paſcuntur.* Herodot. l. 6.

Prætetea obſeruabatur, vt qui Oraculum conſuleret, breui admodum Oratione quod a Deo vellet expoſceret, *vt tu ipſe noſti* (inquit Philoſtratus) *qui ab Oraculo aliquid poſcit breui admodum oratione quid poſcat exponit*, quod ſi interdum conſulens verboſius loqueretur, monebatur à præcone, vt cogitaret ſe Deo loqui, qui odio haberet loquaculos. In vita Apollonij l. 6. c. 5.

Quoad Pythiam ſpectat, ipſi non licebat dare oracula niſi certis diebus (quos faſtos vocabant: quare ipſe Alexander cum nefaſtis diebus (quibus fari oraculo non licebat) Delphos veniſſet, repulſam paſſus eſt, cui° tamen importunitati & inſolentiæ vt Pythia ſatisfaceret, *inuictus es* (inquit *fili* quo illeaccepto reſponſo lætus abijt. Et ad hos dies nefaſtos alludit vt reor Statius dum ſcribit de exitu Amphiarai.

*Plutarch. in Alexandro.*

*Theba.*

——— *Mutiſque Diu plorabere Delphis.*

Secundo. Pythia ſedens in tripode non dabat oracula niſi carmine: vnde Propertius.

*Pythius in longa carminum ve-*
*ste ſonat.*

Et Horatius in arte.

*---Et dictæ per carmina ſortes.*

Imo ſcribit Plinius nos carmen heroicum Oraculo Delphico debere, quod ſcilicet Phæmonoe(vt multi interpretantur) prima huius templi Pythia id cõmenta ſit. Quod ſi ita ſit, heroici carminis & poeſeos Dæmon author eſt: parcant mihi, Poetę poſſumus enim inuento Dæmonis bene & male vti. Enimuero ne in verba Plinij me iuraſſe exiſtiment, id eius dictum vulgo carpitur, aitque Diuus Cyrillus Iulianum Apoſtatam hoc nobile inuẽtum Hebræis inuidiſſe, & Euſebius Moſem Poetis

*Plin. l. 7. c. 56.*

*D. Cyrill. l. 7. contra Iulia. Euſeb. l. 11. præpara. c. 3*

omnibus præluxiſſe, nam & Iobi Hiſtoriam ſpondaicis ſcripſit verſibus & cantica, ſeorſum vero illud Deuteronomij. 32. elegiaco carmine vt verſus alternatim ſenis & quinis conſtent pedibus, ad quos modos tria extant cantica apud Eſayam, vineæ ſcilicet, vrbis ſion & Eſechiæ: Itaque fuere prius apud Hebræos Poeſis & carmina quam apud Græcos. Reſpondẽt tamen Plinij deffenſores Diuum Cyrillum & Euſebium id pie ſcribere, & fuiſſe quidem apud Hebræos quoſdam modulos & imperfectam Poeſim, Græcos vero habuiſſe perfectam & ſuis numeris abſolutam, quæ ab his ad latinos, à la-

tinis ad alios fluxerit. Potius tamen adhærendum teſtimonio ſacrorum authorum quam profanorum.

Sed vt eo redeam quò diggreſſus ſum, vt in hoc fano Delphico Oracula verſibus reddebantur, ſic in reliquis ferè omnibus. *Trãſgreſſi Meandrum* (inquit Liuius de Cumæo) *ad Hieram Comen prruenerunt, fanum ibi Auguſtum Apollinis & Oraculum, ſortes autem Verſibus haud inconditis dare Vates dicũtur.* In Colophonis Oraculo quidã certis è familijs ſacerdotes è mileto acciti & plerumque literarum ignari verſibus mire admodum concinnatis conſulentibus reſpondebant. Et paſſim in alijs, Antiſtites qui his

*Pauſan. in Achaic.*

prę̃rãt. Vnde colligo haud ineptè Philoſophari Celſum apud Origenem, dum ait herbas & carmina Dęmonibus placerere: nam & nulla fere fuit magia ſine carminibus, quæ vel artis ſummam continerent, vel pactum Dęmonis. Hinc Maro.

Origen. l. 6. aduerſ. Celſum.

4. æneid. *Hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes*
*Siſtere aquam fluuijs, & vertere ſydera retro*

Et illa Maga apud Petronium.

Petron. in ſatyr. *Quid Leuiora loquor, lunæ deſcendit imago*
*Carminibus deducta meis.*

Quò videtur reſpexiſſe Arnobius, dum CHRISTI virtutem extollens illum ait mira patraſſe, *ſine vlla vi car-*

Arnob. l. 1. aduerſ. gentes.

*vi carminum sine herbarum & graminum succis.* Imo & hodie nihil crebrius in rebus magicis. Quemdam vidi pronuntiatis nostræ linguæ certis carminibus homines quoslibet digito tantum auriculari adhibito è terra subleuantem. Notum satis, id fieri ex pacto cum Dæmone inito vel tacitè vel expresse. Sed cur potius carmina quam solutæ orationis verba in rebus magicis crebriora sint suspicari licet idnõ fieri sine dolo, scit enim Dæmon Carmina & iuuare memoriam & memoriæ facile imprimi, quare vt sua præcepta tenacius hæreant eorum animis, qui hæc tractant, ea tradit carminibus: nec enim putan-

dum, cum quidquam obmittere vt tales homines sibi vinciat.

Fusior hic fui quam putabam, sed res mereri videbatur.

Mitto reliqua, quæ de hoc fano & Oraculo satis nota sunt. Ludos Pythios ibi in honorem Apollinis tot ritibus, & solennibus fieri solitos. Pythaulas tibicines qui eius pæanas & laudes tam egregie tinnulis articulis modulabantur.

——— *Qui Pythia cantat*
*Tibicen didicit prius, extimuitque magistrum.*

Horat. in arte.

Tria solennia in memoriam occisi serpentis, & similia.

Mitto etiam templi & vrbis nomina. Vrbs templi

primo nape, deinde Petroeſſa. Poſtea Criſſa, deinde Pytho: poſtremo Delphus a Delpho Apollinis filio appellata eſt, a quarto vrbis nomine nempe *Pytho* fluxit nomen Pythij Apollinis, templi Pythij & vatis Pythiæ, tracta voce ἀπο τῦ πυθέσθαι id eſt a conſultatione oraculorum.

Enimuero vt hunc ſermonem concludam re trita quidem ſed profecto non obmittenda, in templi limine inſculpta erat hęc ſententia γνῶθι σ' αὐτον, *noſce te ipſum*, quæ homines admonebat ne vel proſpera fortuna intumeſcerent vel ita viuerent, vt numquam morituri.

Sed quia non tantum id

Oraculum, ſed pleraque alia erant dicata Apollini, ante quam ad illa pertranſeam, dicendum aliquid de Apolline & quis ille fuerit.

## *QVIS FVERIT ILLE Apollo, cuius nomine tot in orbe Oracula ante* CHRISTI *aduentum appellabantur, & quæ fraude eius cultum Dæmon fouerit.*

### CAP. XXVI.

QVis fuerit ille Apollo pro deo cultus & cur tot tẽpla & Oracula in orbe habuerit, non iniucun-

da eſt indagatio.

Plures fuere Apollines, præcipue tàmen tres. Primus anno mundi. 2670. Horus nomine, Oſiridis filius, regum in Ægypto poſtremus, & ſtatim pro Deo cultus, nã & eũ Græci Apollinem nominarunt, refertque Diuus Epiphanius eius & Harpocratis ſacerdotes capite raſos fuiſſe & puerile ſignũ impudenter ferentes.

*Herodot. l. 2.*

*D. Epiph. l. 4. de Hæreſib.*

Secundus Apollo anno mundi. 1955. floruit, cytharam, medecinam, & herbariam repperit, aut ſaltem inuentas propagauit, vnde & Dux muſarum effingitur è Æſculapij pater.

Tertius circa hæc fere tempora, Saturno coætaneus, vates, Ariolus, & vir

perditus: cui tamen ſtatim poſt obitum conſecrato infinita fere fana dedicata ſunt: vtque tunc cæca mortalitas in deliria ferebatur, cum mala inuehere & depellere ſtatim creditum, vnde Orphæus in hymno quem ipſi concinit.

——ὦ βασυλεῦ Κακὰ πάνων Ἀπόλλων.

*O rex Apollo qui mala quieſcere facis.*

Et Horatius.

——*Hic miſeram famem.*
*peſtemque a populo & principe Cæſare*
*In Perſas atque Britannos* *lib. 2.*
*Veſtra motus aget prece.* *Ode, 21.*

Vbi recte Horatius peſtē addidit, credebant enim inter mala, eum potiſſimum peſtem inuehere & fugare.

Narrat Pauſanias ex nece cuiuſdam Arioli carni nomine conceptam peſtilentiam ſedari non potuiſſe niſi carnea Apollini inſtituerentur : erant autem carnea quædam ſacra in eius honorem : vnde & carneatæ pueri, qui tenera ætate per ſortem eligebantur ad hæc ſacra miniſtranda. Et Arcades colebant Apollinem Epicurium id eſt auxiliatorem quod in peſtilẽtia tuliſſet opem. Refert Dion Turulium cum arbores Apollinis Coi incidiſſet ab Auguſto iuſſum necari, quod Clemens Auguſtus non iuſſiſſet, niſi forte peſtem emiſſam iri ab Apolline timuiſſet.

*Heſych. in voce carnea.*

*Dion. l. 1. hiſtor.*

Quem vulgi errorem de

Apolline peſtis authore & emiſſore, vt Dæmon confirmaret ſæpe é templis Apollinis peſtem immiſit. Retuli, ex Amiano (ſupra) peſtem é quodam antro templi Apollinis euolaſſe. Simile quiddam lego in Capitolino, de hac luc quę veri Cæſaris tempore craſſata eſt in Italia, ab ipſo (vt ille ait) é ſyria redeunte aduecta. *Fuit eius fati* (inquit) *vt in eas prouincias per quas redijt, Romam vſque lucm ſecum deferre videretur, & nata fertur peſtilentia in Babylonia: vbi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, ſpiritus peſtilens euaſit, atque inde Parthos, orbemque compleuit.* Quæ omnia Dæmonem effeciſſe, vt confir-

*Capitol. in Vero Cæſare.*

mata gentium ſuperſtitione metum Apollinis magis incuteret, nemo ambigit. Nam nec ſpeluncæ aptæ ſunt ad infectos vapores concludendos, cum & meatus habeant, & terra potius purificet quam inficiat: nec etiam arculæ ex auro compactæ, cum lues veſtimentis quidem non metallis inhæreat. Dæmon autem cum mira ſcientia rerũ naturalium polleat, miris & multis modis (quoties a Deo ipſi conceditur (peſtẽ poteſt emittere.

Cæterum hæc ſuperſtitio de Apolline malorum authore & depulſore ita in Græcia inualuerat, vt non tantum in peſte ſed in malis etiam minutuſculis depel-

lendis Apollini sacra facerent. Nec possunt legi sine cachinno quę refert Strabo de Sminthio Apolline & de Pornopio, quorũ ille a muribus, alter a culicib⁹ nomẽ traxerat *apud Æoles* (inquit) *qui in Asia sunt, mus quidam* πορνοπίων *vocatur, Bœotij autem hoc modo culices vocant, & sacrificium fit Apollini pornopio,* additque rem non non minus lepidam de Apolline Erythibio. *Rhodij* (inquit) *Apollonis Erythibij templum habent in agro suo, bi rubiginem* ἐρυθίβην *vocant,* quod videlicet rubiginem in eorum fauorem depelleret, vt culices in Bœotia. Strab. l. 13.

Omitto quæ hic dici possent de Apolline prostaterio, quem etiam ad pellen-

da mala in veſtibulo domus colebant, qua de re Deo dante, dicam alibi.

Hæc tamen breuiter prænotaui, tum quia de Oraculis agens, de illo Deo, cui præcipue vaticinium veteres attribuerint, debebam agere: tùm vt Chriſtiano lectori (ſi hæc perlegat) paſſim ſit ob oculos quòt Dęmonũ ludibria & deliria lege CHRISTI euanuerint: vtque oculis corporis hæc perlegens, oculos mẽtis in tranſcurſu ad cælum cleuet Deo gratias agens, quæ res & me ad ſcribendũ inuitat, & quaſi ſopito ſcribendi tędio manum impellit. Scribam igitur de his Oraculis, & eorum nugas in quantum facultas ſuppetet,

hic inſcribam.

---

## *QVOT MODIS DÆmon ſua daret Oracula ante* CHRISTI *aduentum, & varia eius Mimica.*

## CAP. XXVII.

EVSIOR ſum in hoc tractatu quàm putabã: Attamen cum hæc Oracula CHRISTI aduentu obmutuerint, & *de tanta* (vt loquitur Auguſtinus) *& tam maligna Dæmonum p teſcate nos liberarit ſingulare ſacr ſ-*

*D. Aug, l. 4. de ciuit. c. 31,*

*cium tam ſancti ſanguinis fuſi & donum ſpiritus impertiti,* chriſtiana opera haud indignum reor, ſi præcipuas horum præſtigias hic inſcripſero. Sed tam varie hic luſit Dęmon, hominesque eluſit, vt profecto dum hic ea in ordinẽredigere cupio, eorum multitudo animum obruat. Poſtquã tamen diu perpendi, quattuor modos repperi, quibus data ſint, videlicet, VOCE, SCRIPTO, SOMNIIS, OSTENTIS, Qui modi erunt mihi veluti fila in hoc Dædalo. Rurſus inter Oracula vocalia, quædam reddebantur voce hominis, quædam per ſtatuam. Inter illa præcipuum fuit Delphicum (de quo diximus) poſt Delphicum

in hoc ordine insigne etiam fuit Delium, de quo igitur dicendum.

## *DE TEMPLO ET Oraculo Dæmonis Delij.*

### CAP. XXVIII.

MIHI calamum sumenti occurrit tritus ille versiculus.

*Cui non dictus hylas puer, & latonia Delos.*

Sed sane non propterea reuocabor a proposito, tùm ob lepidas huius loci super-

ſtitiones, Dæmonis fraudes, & ludibria, tum quod neminem ſciam qui obſeruanda de hoc Oraculo in ordinem redegerit: vtque auſpicer a ſitu inſulæ in qua templum conſtructum fuerat, *In Ægæo* (inquit Strabo) *Delos immmet, & circumſtantes illi Cyclades.* Cui congruit Vergiliana deſcriptio.

Strabo. l. 10.

*Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus*
*Nereidum matri & Neptuno Ægæo.*

3. Æneid.

Sacram vocat ab Oraculo quo non erat auguſtius poſt Delphicum, & quarquaſdam inſulas in hoc pelago fluctuantes Deumque ex earum numero amens credebat antiquitas.

(quod ridet Tertulianus lib. de pallio) ſubiungit Poeta.

*Quam prius arcitenens oras & littora circum*
*Errantem Mycone celſa, Gyaroque reuinxit*
*Immotamque coli dedit & contemnere ventos.*

Et quia eadem inſula primo Aſterie a figura, deinde Ortigye ſiue Ortigya a ſorore Latonæ nuncupata eſt, addit ex perſona Æneæ.

*Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus.*

Cur vero Delos deinde appellata ſit, quidam referunt ad Oracula quæ hic δῆλα id eſt aperta & clara redderentur. Macrobius ad ſolem, qui (vt ait) omnia facit, clara. Quidam ad

Delum Paſtorem.

Hæc bræuiter prænotata ſint de inſula & eius nomine, etſi hodie deſerta ſit & & vix nota quaſi in pudorem & pænam Dæmonis.

Quoad templum Oraculi in ea extructum, & tot annis celebre, deſcribitur a Liuio in hunc modum. *Templum eſt Apollonis Delium imminens mari, quinque millia paſſuum à Tanagra abeſt, minus quattuor millium inde in proxima Eubœæ eſt mari traiectus*, a Strabone autem longe aliter *Delos* (inquit) *urbem habet in plano poſitam, & Apollinis templum atque Latonæ, cynthus autem mons ſublimis & aſper incumbit urbi.*

*Strab. l.* 10.

Conſtantinus Phrygion in chronico ſcribit id tem-

plum Delium anno mundi. 2459. ædificatum fuiſſe ab Eryſiſthone. Itaque antiquiſſimum fuit & prius Delphico. Vnde Poeta erudite ex perſona Æneæ.

*Templa Dei ſaxo veneramur ſtructa vetuſto.* 3. aneid.

Erant autem in templi limine quidam verſus inſcripti, quibus edocerentur homines qua herbarum compoſitione aduerſus omnia venena vterentur: nam ægroti eò potiſſimum confluebant vt conualeſcerent? ſed miſeri ad quem medicum?

Intra templum erat effigies Draconis vel quia Draco ſacer ſit Æſculapio, cuius res ibi ageretur in curandis morbis, vel in ſignum

Numinis, cum Dijs fere omnibus dicaretur, vel quod in ſpira cõuolutus Oraculorum ambages innueret.

Oracula vero hic reddebantur non a muliere ſicut Delphis, ſed a viro, vt teſtatur ibidem Maro ex fide hiſtoriæ de Anio rege ſimul & Apollis ſacerdote.

*Rex Anius, rex idem hominum Phœbique ſacerdos.*

*Dionyſ. l. 1. antiqu. Roman.*

Ex fide (inquam hiſtorię, nam Dionyſius halicarnaſſeus de Anio rege idem ſcribit. Quis autem fuerit primus Phœbi vates in hoc templo, diu quæſiui: & tãdem hunc Olem fuiſſe ex veteri epigrammate comperi.

*Olen, qui fuerat primus phæbique ſacerdos*
*Primus & antiqui verſus modulamina fecit.*

*Habetur inter Græca Epigrãma.*

Meque adhuc hærentem & titutubantem confirmarunt hæc herodoti verba de eodem in hunc modum loquentis, *Olen* (inquit) *è lycya profectus vetuſtos hymnos edidiſſe fertur qui in Delo cantantur dum cinis qui eſt ſupra ſepulchrum opis quæ hecaerges nominata eſt, diſpergitur ſuper innumerabilẽ ægrotantium turban, qui aræ aſſiſtunt.* Hæc Herodotus & eadem fere Pauſanias in Bæotijs, quæ non tantum hæc quæ dixi de Ole confirmant, ſed ſane lepidam & præcipuam huius templi cæremoniam deſcribunt : Nam Ægroti

qui ex longinquo morbis remedia petituri illuc confluxerant, ex veteri inſtituto debebant ante aram templi certos hymnos in laudem Apollinis canere, quos dum canerent: ſacrificulus ſacrificiorum cineres in canentium capita diſpergebat. Is erat primus cibus, hæc prima potio quæ areſcentibus miſerorum ægrorum faucibus propinabatur? & recte ſane? quid enim Dæmon dare aſſolet niſi cineres, vt ſatis fuſe ſupra vidimus, cùm in nece Zoroaſtris tùm eorum, qui eius vitam & mores imitati ſunt.

Hæc fuit prima & antiquior ſuperſtitio, ſed non minus lepidæ quæ deinde

introductæ sũt, quarũ prima non licebat intra insulam canes alere; altera vero mortuorum sepultura aut crematio intra Insulæ ambitum vetabatur. Vtramque Plutarchus & Strabo referunt, sed earum causas minime: attamen primæ ratio meo quidem iudicio satis patet, videlicet ne canes suo latratu preces templi interrumperent, erat enim hic ara Apollinis genitoris (vt dicam infra) qua nihil habebatur augustius, in qua nullo sacrificio, sed tantum solenni prece eum venerabantur. Pudore suffundamur. Hi tanto cultu & veneratione Dęmonem precabantur: nos vero Christiani, qui tot a Deo

*Plutarch. in proble.* *Strabo. li.* 10.

beneficia cumulate accepimus, habemuſque ſacrificium (quo haud dari maius poterat) in templis tam irreuerenter Deo loquimur. ſurgent forte Delij in hac die tremenda quæ inſtat, & damnationis noſtræ ſententiæ citati teſtes aſſiſtent.

Sed vt a ſuperſtitionibus ad præcipuum huius loci cultum tranſeam. Præter hanc aram (de qua ſupra) erat in templo ara Apollonis genitoris (ſic eam vocabant) qua nihil habebatur auguſtius in tota inſula. Erat autem ex dextris cornibus animaliũ mire compacta, vnde Ouidius de hac loquens.

*Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram.*

Et

*Et de qua pariens arbore nixa Dea est.*

In epist. Cydippes ad Acontium.

Nec illepido commento Callimachus in hymno Apollonis, scribit quadrimũ adhuc Apollinem ex cornibus Cynthiadum caprarũ, quas soror Diana in venatu occiderat aram compegisse, fundamenta item & parietem è solis struxisse cornibus. Plutarchus in Theseo huius meminit, vbi eam vocat βωμὸν Κεράτινα id est aram corneam. Oraculum petituri ad hanc procumbebaut: vnde Macrobius de hac ara Vergilium intellexisse existimat, dùm scribit ex persona Æneæ.

*Da Pater augurium.*

3. æneid.

In ea nulla hostia cædebatur, sed tantum solenni

prece Apollinem inuocabant, eratque in tanto cultu vt nihil aliud Pythagoras adorare voluerit, *aram* (inquit Laertius in eius vita) *Delij tantum Apollinis genitoris adorare, quod frumenta & hordeum & placentas illi absque vsu ignis imponere ex more soleant, cæterum nulla tecmora*, & idem fere Cloatius, *Deli* (inquit) *ara est Apollinis genitoris, in quâ nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram velut immolatam adorasse ferunt*, erat (inquam) in tanto cultu, vt si qui per imprudentiam aut contemptum, illam contingerent, iacerentur ex quodam promontorio in pœnam criminis, sic enim intelligo hæc Strabonis verba decimi

*Laert. in Pythagoræ.*

*Cloatius l. 2. oraculorum.*

quatti geographiæ *Initium Occidentalis nauigationis Rhodiorum, curium est. Postea est promontorium, vnde iaciuntur qui Apollinis aram contingunt.* Quæ verba licet non careant caligine, cum Strabo hic strictim loquens, quæ hæc ara sit non explicet, inter tot quæ dicatæ essent Apollini, liquet tamen Strabonem de alia non loqui, tum quod Delo adiacentes Cyclades, aliasque regiones finitimas eo libro describat, & in eadem pagina Delum nominet, tum quod non fuerit alia in tota Græcia quæ maiori religionis terrore exculta fuerit. Quare ait tantum Strabo *aram Apollinis* quasi diceret quidem explicem rem satis

notam & immanitatem illius Apollinis genitoris seu potius tortoris, nam & hoc nomine alicubi colebatur. Imo & hæc sæuitia quæ apud Cœenses Delo vicinos exercebatur, vt lata lege maiores annis sexaginta nati aconito vitam finirent, sub prętextu ne reliquis cibi deficerent, aliunde sane non fluxerat, quam a quodam responso huius Oraculi. Nam & omnes immanitates quæ ante Christi aduentum in homines exercebantur ab Oraculis emanarant.

*Meminit huius legis Menander & Strabo. l. 10.*

Sed vt ad Oraculum redeam. Fuit tanta huius fama, vt ob homines vndequaque huc accurrentes non tantum magnis opibus

insula (in qua situm erat) floruerit, sed & emporium habuerit. quo haud erat in orbe celebrius. Vnde Proverbiũ. *Mercator Delũ naviga, & expone, iam omnia venundata sunt.* Aitque Strabo quod vna & eadem die multa mancipiorum millia & reciperet & emitteret. Denique mercatores templi immunitas arcessebat, & ipsius portus opportunitas inuitabat: etenim ex Italia & è Græcia in Asiam nauigantibus commodissim è iacet. *Strabo l. 14.*

Sed? quæ rerum vicissitudo? tam florens olim insula Dæmonis regia, iam deserta tristis & squallida, quasi trophæum CHRISTI victoriæ manet manebitque

& ſanc Chriſtianis, in Ægęo (vbi ſita eſt) nauigantibus videtur lugubriter canere.

2. æneid. *Exceſſere adytis omnes, ariſque relictis.*
*Dij quibus imperium hoc ſteterat.*

Oraculum centum fere annis ante Chriſti natalem obmutuit. Inſula vero ſtatim ſub Chriſto nato deſerta eſt, nam Strabo qui eo fere tempore geographiam ſcripſit, de ea loquens *hodie* (inquit) *in ſumma perdurat inopia.* Quodque etiam miror, etſi eius ſitus rei mercatoriæ ſit aptiſſimus, & hodie ſubditione turcorum iaceat, ad hoc vſque tempus ab hominibus non incolitur. Pro tam celebris Ora-

Strabo. l. 10.

culi monumento, eo loci vbi templum stabat, iacent tantum quidam lapides porphyretici & marmorei & colossus quindecim cubitorum sic inscriptus ιατρὸς Απόλλων id est, Apollo Medicus, apposita inscriptione nam & hoc Oraculum ex eorum erat numero quæ pro morborum medela cõsulerentur. Sicque id Sibyllinum vere accidit.

*Anales vnneti in annum. 1470.*

Εςαι Κὰι Σ άμος ἄμμος ἐστται δὲ
Δῆλος ἀδηλος.
Κὰι ῥώμη ῥύμη,

*Fiet arena samus, Delos deleta latebit.*
*Roma fiet deserta,*

*l. 2. Oracul. Sibyllinor.*

Sed quia scribit seruius sex tantũ mẽsibus in hoc tẽplo Delio Oracula dari solita, reliquo vero semẽstri in ly-

Seruius in 4. æneid. cio, quale illud fuerit, inquiramus.

---

## DE ORACVLO Apollinis Lycij siue patarei & aliis eiusdem ordinis, quæ passim sparsa erant in Gracia.

### CAP. XXVIII.

ID Oraculum etiã inter ea quæ voce reddebantur, refertur: fuitque non ignorabile, *illam nobilem facit* (inquit mela loquens de Lycia) *delubrum Apollinis quondam opibus & Oraculi fide Delphico simile.* Hic vt dixi, tantum

Pompon. Mela l. 1.

ſex menſibus hyemalibus dabantur reſponſa, ſex vero æſtiuis apud Delum ſicque vnum erat æſtiuum Oraculum altterũ hyemale, hinc Maro ex fide hiſtoriæ lyciã hibernam nominat.

*Qualis vbi hibernam lyciam Xanthique*
*Fluenta.*
*Deſerit, & Delum Maternam inuinſit Apollo.* 4. Aneid.

Et horatius Apollinem Delium & Pataræum coniunctim, à Patara ſcilicet lyciæ;, vbi iſtud erat Oraculum.

*Qui rore puro Caſtaliæ lauit*
*Crines ſolutos, qui lyciæ tenet*
*Dumeta, natalemque ſyluam*
*Delius & Pataræus Apollo.* Horat. l. 3. Carminum.

Mira Dæmonis Mimica in hiſce Oraculis, ſed en altera non iniucundior. In illo æſtiuo Oraculo Apollo Draconis ſpecie colebatur: in iſto vero hyemali lupi effigie. Cur autem tale Apollinis ſimulachrum, lycij in hoc ſuo fano poſuerint, rationem reddit Pauſanias, cum lupi (inquit) eorum greges infeſtarent, Dæmon vbi lignum aridum fuerat prædixit, vt eius ligni cortex cum carne lupis præponeretur, quod vbi feciſſent feræ guſtantes interiere.

*Pauſan. in Corinthiacis.*

Hæc breuiter & curſim dicta ſint de hoc Oraculo, quod etiam inter vocalia fuit celebre.

Sed profecto dum ad alia eiuſdem ordinis hic inſcri-

benda propero, eorum turba me turbat. Vbique enim sparsa video. Prope Thebarum vrbem tria & ea quidē clara. Primum Spodij Apóllinis, cuius ara ex cineribus sacrificiorum constructa, supra lapidem sophronestera nuncupatum, habita pro miraculo, summa veneratione colebatur. Dicebatur autem Apollō Spodius ab his cineribus, spodos enim, siue spodium cineris genus est, quod ex fornacibus ærarijs sursum euolat, atque inde recidit in pauimentum. *Pausan. ibidem.*

Alterum, Ismenij Apollinis, ita dictum quod eius templum esset situm in colle Ismeno ad dextram portam thebarum, ad cuius in-

greſſum lapis quidam δίφρος μαντεῦς id eſt currus mantus, ita dictus quod Manto Tireſiæ filia in eo ſediſſe traderetur, pro ſacro ſtabat. At hæc manto inſignis Ariola & malefica fuerat: ſed cæci ea ætate homines Ariolos pro Dijs habebant. Sacerdos templi vocabatur δαφνηφόρος id eſt laurifer ob laurum quem forma & genere inſignem quotannis ſacrabat. Scribit Herodotus ad ſuam ætatatem in templo huius Oraculi fuiſſe Cræſi regis donaria ex auro ſolido, & ſe in eodem vidiſſe Cadmæas veteres literas in tripodibus quibuſdam inciſas.

*Herodot. l. 1. & 5.*

Tertium prioribus vicinum fuit Ptoi Apollinis,

quod eius templum ſitum eſſet in quibusdam thebanis montibus, quia Ptoo Athamantis & themiſtus filio nomen traxerant. *Pauſa. ibid.*

Quod ſi ab hac ora ad alias tranſierimus intra græciam, inueniem' ſimilia Paſſim ſparſa. *Aba* (ait idem Pauſan.) *vrbs dicta ab Abante lynceï filio, quæ Apollini dicata fuit, erat in ea Vetuſtiſsimum Apollonis Oraculum*, Imo ſi Stephano habenda fides, antiquiſſimum fuit & prius Delphico. *Pauſan. in Phocicis.* *Stephan. de vrbibus.*

In Macedonia erat Oraculum Iouis Olympici, ex quo ciuitas (vt ait ſtrabo) ingentem ſibi claritatem vendicauerat. *Strab. l. 8*

In Eubæa duo quoque huius ordinis, quorum e- *Strab. l. 10.*

Strab. l. 10. tiam strabo meminit, vnum Orobijs, alterum Apollinis selinuntij sed numquã absolueré, attamen vt ab hoc Dædalo, in quantum potero me expediam, si nonomnia saltem iucundiora referenda sunt. Inter quæ occurrunt per aquam Oracula, sic dicta quod videlicet nonnisi hausta aqua vel vapore ex aqua à templi vatibus redderentur. De quibus igitur dicendum.

## DE ORACVLIS PER aquam & per vinum.

### CAP. XXIX.

INter Oracala vocalia, quędam etiã apud authores repperio, quæ dicta fuerint per aquã Oracula, quod ſacerdos velut haſto ex aqua diuinatorio ſpiritu ea redderet? quis tam moroſus qui hic non rideat.

Inter hæc vero præcipuũ

Oraculũ Branchic. fuit Branchidicum in Ionia, ſiue Apollinis Didymi & Mileſij his enim trlbus nominibus appellatum eſt: Didymi à Dindymorum oppido: Mileſij, a mileto vrbe ſecus ſtante, *ſed infortunatiſsimæ filiæ miſerrimus pater, iræ ſuperum metuens Dei Mileſij uetuſtiſsimum percunctatur Oraculum.* Cur autem dictum fuerit branchicum, varius ſetmo eſt. Lutatius ſtatij interpres explicans illud Thebaidos.

Apulei. l. 4. de Aſino aorco.

3. Theba. ——*Patrioque æqualis honore Branchus.*

*Branchus theſſalus* (inquit) *dilectus fuit Apollini, quem acriter interfectum dolens, templo & ſepulchro conſecrauit* ſed hæc ratio fabuloſa eſt, veram innuit Strabo lib. 9.

Geographiæ, *extitiſſe fertur Branchus delubri in Didymis præ-ul.*

His præmiſſis quoad nomen loci. Quo ritu hæc per aquam Oracula redderentur, docet Iamblichus, *fœmina* (inquit) *in Branchis fatidica, vel ſedet in axe vel manu tenet virgam ab aliquo Deo datam, vel pedes aut limbum tingit in aquam, vel ex aqua vaporem haurit, & his modis impletur ſplendore diuino, Deumque nacta vaticinatur.* Hæc mira ſunt, ſed non minus, quæ Dæmon ab hac vate exigeret. Ipſa enim antequam daret oracula, abſtinebat a cibo, lauabatur, & in quodam receſſu, orationi & ſacrificijs vacans, per aliquot dies ſtabat: quo argumento Iamblichus ibidem vtitur vt oſtendat con- *Iamblyc. l. de myſt.*

tra Porphyrium non ab arte, aut instrumentis corporeis vaticinium fieri, sed a Deo veniente extrinsecus.

Sed quod sane non obmittendum: vati huius oraculi attribuitur præclarum illud responsum de CHRISTO.

*Stenombæus in Oracul. Magicis.*

*Mortalis erat secundum Carnem,*
*sapiens miraculosis operibus*
*Sed sub Chaldeis iudicibus armis*
*comprehensus*
*Clauis & cruce amarum tolerauit*
*finem.*

Post Branchi oraculum sequitur in eodem ordine Colophonium, à priori tantum discrepans, quòd in illo hautientes vaporem ex aqua prophetarent, in isto vero aqua bibita. Cæterum erant fere similia & quoad fontem & ritus. Erat

*in Colophone* (ait idem Iamblichus) *ſubterraneus locus, in quo fons erat. Sacerdos igitur ſtatutis noctibus ſacrificabat, poſtea guſtabat aquam, tandem vaticinabatur ibi factus præſentibus inuiſibilis*, adidit deinde *quin etiam ante potum aquæ, diem noctemque cibis abſtinet, & ad ſacra quædam ſe reuocat inacceſſibilia vulgo.* Superbus & nequam ſpiritus honores ſibi indebitos arrogabat. Omitto Iamblichi & Porphirij de hoc fonte diſceptationem. Porphyrius ſpiritum quemdam diuinum tranſire per aquam in ſacerdotem aſſerebat, Iamblichus vero Deum implere aquam, virtute quadam ad vaticinum conferente, ſcilicet purgatoria, cuius *Iamblic. in bidem.*

potu ſacerdos purificaret luminoſum ſpititum ſibi inſitum : ſed hæc ſomnnia ſunt & nugæ:nam Dæmon etſi poſſet vatem afflare ſine aqua, mouendo tantum phantaſmata & imprimendo imagines ſeu ſpecies in ipſo organo, vtebatur tamen inſtrumentis & organis (vt hic aqua) ob tres cauſas primò vt ſuos vates aſtringeret : ſecundò vt quadã velut delectatione cum ſtupore coniuncta ſui cultum foueret : tertiò, vt homines videntes mira in creaturis, (vt hic in aqua) creaturas in contumeliam creatoris diuinis honoribus colerent. Sed vt à Philoſophia ad hiſtoriam redeã, addit Plinius de hoc fonte

& oraculo magis mirum *Colophone* (inquit) *in Apollinis clarij ſpecu lacuna eſt, cuius potu mira redduntur Oracula bibentium breuiore vita.* Nollem ſane hoc pretio vaticinari. Cauſam tam tetri potus non reddit, ſed tantum fœtem numerat inter naturæ mirabilia, tangit tamen Iamblichus, dum ait vatem poſt potum huius aquæ ita agitari ſolitam, vt neque eſſet ſui iuris, nec conquieſceret, ſed furens & pedibus terram quatiens adſtantes terreret: Itaque hæc Dæmonis agitatio eius mortem ſine dubio maturabat: Vt videmus in arreptitiis, qui a Dæmone liberati, attritis tamen corporis viribus cito pereunt. *Plin. l. 2. cap. 53.*

Hæc mæsta sunt, sed le-
Paus. in Achaicis. pida, quæ addit Pausanias de hoc eodem fonte & oraculo, cuius aqua non tantum futentes sed etiam Poetas faceret, ait enim quod hic non vt Delphis sed certis e familiis sacerdotes ex mileto acciti & plerumque literarum ignari, versibus tamen mire adnodum concinnatis consulentibus responderent.

Ponitur & in hoc ordine Oraculorum per aquam, Oraculum Daphnæi Apollinis quod in suburbio Antiochiæ Seleucus Antiochi pater extruxerat. erat enim in eo fons, ex quo (vt in Colophonio) sacerdos aquam hauriens prophetabat. Cuius rei testem ha-

beo Sozomenum, *affirmatur autem* (inquit) *ab illis qui ista colunt, fluere illic aquam diuinationis è fonte castalio, qui consimilem energiam & appellationem cum eo sortitus sit, qui in Delphis habetur*, sed profecto illa aqua diuinatoria non potuit restinguere templi incendium, id enim arsisse Iuliani Cæsaris tẽpore lego apud Marcellinũ? quid ita? Christus iam dudum erat natus, qui *Opera Diaboli destruebat.* Sozomen. l. 5. c. 19. Marcell. lib. 22. 1. Ioan. 3.

Ex his Oraculis per aquã fluxere diuinationis species ὑδρομαντία & πηγομαντία id est per aquam & fontes & de alijs per aquam Oraculis, quæ ad istorum differentiã nuta vocabimus infra etiã erit sermo.

Sed cum aqua ſine vino triſtis ſit potio, fuere & Per Vinum Oracula, nam vt refert Macrobius, in Thracyæ regione apud lygureos adytus fuit libero ſacer, ex quo cum vaticinia & oracula reddi ſolerent eius templi antiſtites vino affatim epoto reſpondebant.

*Macrob. l. 1. Saturna. c. 18.*

Et in eadem Thracya ſimile quoque fuiſſe oraculum refertur ab Herodoto. Dionyſij Oraculum (inquit) in editiſſimis Thraciæ montibus erat, vates dicebantur Beſſi, antiſtes autem dabat reſponſa quemadmodum & Delphis, nihilo magis varie, addit *varie* quia mero large ſumpto titubans aut iocu-

*Herodot. l. 6. 1.*

lariter

lariter garriens reſponſa dabat.

Putabam me abſoluiſſe primam partem diſtinctionis id eſt Oraculorum vocalium, ſed ecce occurrunt tetriora, quibus magis oblectatus ſit Dæmon, videlicet Oracula per ſanguinẽ, parumque adhuc fuiſſet ſi a ſanguine belluino ad humanum ventum non eſſet.

O

## DE ORACVLO per ſanguinem, & Diuinatione per ſanguinem.

### CAP. XXXI.

DÆMONEM non tantum ſimiam hic depingo, ſed leonem. Priora Oracula lepida, hæc tetra ſunt, fuit namque in his intentum Dæmonis vt a ſanguine belluino ad humanum res procederet. Ad hunc ſcopum collimarat, eò reſpexerat. Et ſane res ipſi ex

voto ceſſit? proh dolor.

Inter hæc autem antiquiſſimum fuit, Apollinis Diradiotæ, quod Pauſanias etiam ſua tempeſtate duraſſe aſſerit. Cuius vaticinium ita fieret vt a viro mulier ſecubaret, & ſingulis menſibus noctu de agno rem ſacram faceret, cuius agni ſanguine epoto numinis Apollinei inſtinctu reſponſa daret. *Pauſan. in Corinthiacis.*

Simile eſt quod refert Plinius, eo tamen diſcrimine quod ſacerdos non agni ſed tauri ſanguinem biberet, & Dæmon venenum (quod in tauri ſanguine ineſt) depelleret. *Sanguis taurinus recens* (inquit) *inter venena eſt, excepta agira, ibi enim ſacerdos terræ va-* *Plinius l. 28. c. 9.*

*ticinatura tauri ſanguinem bibit, priuſquam in ſpecum deſcendat.*

Hæc fuere initia huius ſæuitiæ quam Dæmon in humanum genus texebat. Hinc enim Diuinaculi eius inſtincti furijs putauere, quod cum humanus ſanguis belluino ſit præſtantior, ex eo etiam præſtantiora effluerent vaticinia. Itaque per humanum ſanguinem diuinatio ſtatim vbique inſtituta eſt. Vt apud Galatas & Maſſagetas qui non aliter Deos rite conſuli arbitrabantur quam ingulato homine apud aras: ex cuius caſu tum ex membrorum laniatu & ſanguinis fluxu futura diuinarent. Vt & in Luſitania, vbi qui-

dam Aruſpices ex hominũ inteſtinis exta proſpicerẽt, atque inde omina & vaticinia captarent Nec poſſum ſine horrore legere quæ refert Strabo de Cymbrorum vaticinis *huiuſmodi autem* (inquit) *morem fuiſſe ſcriptores commemorant. vt eorum vxoribus in militandi ſocietate coniunctis conſequentes nonnulle diuinationis peritæ ſacerdotes adhærebant, quibus canus capillus erat, alba veſtis, æneus incinctæ zonis, pedes nudę. Captiuis per caſtra ſtrictis occurrebant enſibus quos ſternantes humi, ad æreum pertrahebant craterem, viginti Amphorarum. Habebant & pulpitum quo agiliter aſcenſo tollentes in ſublime catiuum, ſuper lebete iugulabant. Tum proſuſo in craterem ſanguine, inde cum ſtillaret, vaticinium edebant.* Strab. l. 7.

Inde paſſim ex vatum reſponſis Cæſi homines diræ

immanitates exercitæ, nihilque crebrius quam Dæmoni humano ſanguine ſacrum facere. Scribit Pſellus de gnoſticis & necromantijs ſui temporis quod non aliter diuinos characteres ſibi imprimi & infundi exiſtimarent, quam ex infantium ſanguine quos occiderant, eo ritu vt prius ſanguinem diſtillarent, quē poſtmodum crematorum corporum cineribus commiſcentes vt condimentum comederent. Sed ab hoc membro diſtinctionis, in quo diu ſatiſque moratus ſum, ad alterum tranſeo modo tamen de oraculis per ſtatuam aliquid dixerim.

*Pſellus de Dæmonibus.*

# DE ORACVLIS PER STATVAM QVÆ ETIAM INTER VOCALIA NUMERANTVR.

## CAP. XXXII.

DÆMONVM Oracula etiam voce ſtatuæ reddita non ſemel lego. Hinc quando arguebantur Idololatræ. Reſpondebant (inquit Auguſtinus) ſe non viſibile illud colere ſed numen illud quod inuiſibili- D. Aug. in Pſ. 113. Apoc. 12.

ter illic habitaret. Idem memorat Theodoretus libro decimo Græcarum affectionum, fuſe diſſerens ſi aliquando reſponſis ſuis vera præſagire potuerint, id non ſcientiæ ſed fortunæ opus fuiſſe. Vbi autem fuerint hæ ſtatuæ paſſim legitur. Quaſdam fuiſſe in templis Syriæ prodit Lucianus quæ & flerent, ſudarent, & oracula redderēt, idē Athenagoras in oratione pro chriſtianis de Protei & Nerylliſtatuis quarum illa erat in troade hæc in Pario *Nerylli-ni ſtatuæ* (inquit) *aliæ ornamento ſunt publico, vna vero earum etiam Oracula edere & ægros ſanare exiſtimatur. Quapropter & illi rem diuinam faciunt & auro circumlinunt*

*Hæc oratio habetur inter opera Iuſtini martyr.*

*Troadenſes.* *Abdias*

Memorat quoque Abdias *l.* 8. in Hiſtoria Apoſtolica duo ſuiſſe apud Indos Idola, vnũ nomine aſtaroth alterũ beireth, quibus Dæmones non tãtum reſponſa redderent, ſed & dicerent ſe curare lãguentes & cæcos illuſtrare, a quibus petituri Oraculum peracto de more ſacrificio etiam corpus proſcinderẽt. quomodo autem Diui Bartholomæi in Indiam aduentu miro incolarum ſtupore obmutuerint, infra exequar.

Omitto oſtenta varia & prodigia circa ſtatuas facta videlicet arte Dæmonis, vt hunc cultum qui ipſis reddebatur foueret. Statua Iunonis monetæ veiis a

Romano exercitu expugnatis roganti cuidam militi vtrum vellet Romam concedere clara voce respondit *volo volo*. Simulachrum cumani Apollinis cum aduersus Achæos Regemque Aristonicum a Romanis bellaretur quatriduo fleuit. Orphæi statua Alexandri Macedonis tempore sudare visa est.

*D. August. 3. de ciuit.*

Mirum videbitur quomodo praui Dæmones statuis incubent, mirum quidem est sed certissimum, vnde ipse Augustinus *Dæmones* (inquit) *qui coluntur in templis per artem nescio quam imaginibus inditi*, sunt enim in loco Dęmones non circumscriptiue sed definitiue & sphæras actiuitatis ad cer-

*Idem l. 8. de ciuit. c. 24.*

ta loca poſſunt reſtringere. Scio tamen ſtatuarum reſponſa interdum humana arte conficta, & lepido ſane aſtu, erant (vt prodit Theodoretus) ſimulachra ærea intus vacua, parietibus copulata, vbi ſacerdotes quędam foramina relinquebant, vt ingredientes illam concauitatem quæ vellent per eorum ora tamquam diuina Oracula eructarent. Sed id præcipue factitatum eſt poſt CHRISTI mortem, dum Dęmonis ſacerdotes viderent oracula deſijſſe. Sic Maximinus Imperator Chriſtianos perſequens, & Chriſtianam religionem extinguere fruſtra moliens, Iouis ſimulachrum (quod in vrbe An-

*Theodore. l. 5. hiſt Eccles. c. 22. l. 9. c. 28.*

tiochia celebre fuit) ſic inſtrui curauit commentoque callido aptari, vt in edendis oraculis, reſponſum de Chriſtianis promeretur: ne homines CHRISTO dicati degerent in vrbibus, neque vllis etiam locis iuxta vrbes, ſed procul vt noxium genus, atque veneficum fugarenter: ſed præter ſpē Maximini res contigit, nam ad Chriſtianorum conſtantiam colliſa eſt eius feritas, & quò maior extitit perſecutio, eò amplior affulſit religio. Sed in hoc primo membro diſtinctionis ſatis ſuperque commoratus, ad aliud tranſeo.

## DE SECVNDO MEMgro diſtinctionis Oraculorum, id eſt de Oraculis quæ ſcripto reddebantur.

### CAP. XXXIII.

INter Oracula quę ſcripto reddebantur referuntur etiam ſybillina: quod ſybilla Cumis vaticinãs ſua reſpõſa exararet. vnde ſymmachus libro quarto epiſtolarum huius ſibyllæ Oracula *literas* vocat ſcitè & appoſitè *an neſcis* (inquit) *Oracula olim loquta* Epiſt. 33.

*desijsse & nullas in Cumano antro literas legi*, scribebantur autem hęc Oracula a Sybilla in palmarum folijs vt proditur a varrone, & eleganter tangit Vergilius in hoc Æneæ colloquio.

6. aneid. ——— *Folijs tantum ne carmina manda*
*Ipsa canas oro.*

Vnde etiam inualuit, vt Sibyllæ folium pro Oraculo vsurpetur,

Iuuenal. *Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.*

Sed quia de his multa passim sunt obuia non dicam plura. Occurrit tamen nec possum quin hic inferam ioci gratia quod ait serapion apud Clementem Alexandrinũ, neque mortuam Sibyllam desijsse va-

Clemen. Alex. l. 1. Strom.

ticinari, & ex eius corpore in terram coniecto diuinatoriam herbam fluxiſſe, & animam eius eſſe eam faciem quæ in luna apparet. Lunatici cerebri pulchrum commentum.

---

## *DE ORACVLIS Iouis ſeu Dæmonis Heliopolitani quod ſcripto reddebatur.*

### CAP. XXXIIII.

INter Oracula ſcripto olim reddi ſolita haud fuit clarius Iouis Heliopolitani Oraculo (erat autem Heliopolis Ægypti ciuitas,

a ſole cui dicareturſic appellata) ſcripto (inquam) reddebatur, ſic enim Macrobius, vbi loquitur de hoc Dæmone qui huius vrbis ſtatuæ incubaret, *conſulebant autem hunc non ſolum præſentes, ſed abſentes miſſis diplomatibus conſignatis* ſtatua vero ab eodem ſic deſcribitur vbi agit de Traiano Conſulente *aureum ſimulachrum ſpecie imberbi inſtat dextra eleuata cum flagro in aurigæ modum, læua tenet fulmen & ſpicas vehebatur ſimulachrum hoc ferculo veluti deuehuntur in pompa ludorum Circenſium Deorum imagines, & ſubibant plerique prouinciæ proceres vaſo capite, longi temporis caſtimonia puri: ferebantque diuino ſpiritu, non ſuo arbitrio, ſed quo Deus propelleret.*

Macrob. l. 1. Saturnal. c. 24.

Et vt dixi oracula per ſtatuam interdum humana arte confícta, dum Chriſto nato viderent Dæmonis ſacerdotes oracula deſinere & deficere: idem factum eſt de his vt videre eſt apud Lucianum de Alexandro impoſtore, qui inſigni fraude quædã pro oraculo reſpondebat, ſciſcitationibus quas in libello funiculis obuincto, ceraque obſignato conſcriptas ſibi afferri ordinabat, conſulto prius (vt aiebat) Apolline & Æſculapio, merce vnicuique reſponſo præſtituta drachma vna cum obolis duobus, qua arte nequam ille in annos ſingulos ad ſeptuaginta aut octoginta nummorum millia

*Lucianus in Pſeudomati.*

erogabat, erat vero huius impoſtoris tanta ſolertia, vt hos libellos licet obuinctos ceraque obſignatos mire aperiret & quaſi intactos redderet. Omitto reliqua quæ de eo ibidem narrat Lucianus, quomodo ad ſua reddenda oracula locum elegerit quem incolerent homines craſſi & ſtolidi, vt facilius eos falleret : quomodo furore affiatum ſeſe aſſimilaret ore ſpuma completo. quod ille efficiebat radiculæ ( ea eſt herba lauãdis lanis idonea ) radice cõmanducata : quomodo è linteis confectum Draconis caput, penes ſe haberet, quod ſpeciem quandam humanam præ ſe ferret, colorum fucis mire adſimula-

tum, quodque pilis equinis os aperiret & clauderet: quomodo denique ingentem Draconem ex pellea natione (vbi cicurati naſcuntur) ſecum adductum manibus tractans contrectansque petentes oraculum ſtupefaceret.

Eadē fraude vſus eſt Coccōnas Alexandri ſocius, & plerique alij quos breuitatis gratia prætermitto, ad tertiū diſtinctionis membrū pertranſiens.

## DE TERTIO MEMbro distinctionis, id est de oraculis Dæmonum, quæ ante Christi aduentum ex somniis & insomniis redderentur.

### CAP. XXXV.

DEi Arcana sub somniorũ nubilo interdũ eius famulis reuelata in sacris paginis sæpe legimus, vt in genesi de Iacob sõnio

Genes. cap. 28. *& exiit Iacob à puteo iuramen-*

*ti, & profectus est in charran, & venit ad quemdam locum & somno sopitus est ibi, occiderat eum sol, & accepit de lapidibus loci, & posuit ad caput suum: & obdormiuit in loco illo & somniauit. & ecce scala firmata in terra, cuius caput pertinebat ad cælum: & angeli Dei ascendebant & descendebant in ea, Dominus vero innixus ei stabat.* Quod somnium luculenter exponunt Tertulianus libro tertio aduersus Marcionem & D. Augustinus decimosexto de ciuitate capite 38. Eò etiam spectant somnia Pharaonis & Nabuchodonosor: sed quia & naturaliter somniamus & Dæmon etiã in hominis phãtasiam somnia potest immittere: hinc fit vt recepta sit ea somnio-

rum diuiſio, in Diuina, naturalia, & Diabolica priorum pertractatio mei ingenioli vires ſuperat: naturalia non cadunt in propoſitum. Diabolica reſtant in ſcopum, quæ olim oraculi loco in pluribus locis donabantur.

Et in his tam varie luſit Dæmon, vt profecto vnde inchoaturus ſim neſciam, vt tamẽ promiſſis in quantum potero, me exoluam, incipiam à nobilioribus quæ Iamblichus in libro de myſteriis ſic refert. *In æſculapii templo accipiuntur ſomnia, quibus morbi curantur, ipſaque ars medendi ſomniis eſt comparata diuinis. Exercitus Alexandri morbis mox deperiturus euaſit diſcrimen remediis adhibitis in ſomno à Dionyſio Deo. Li-*

*lib. de myſter. cap. de ſomniis.*

*ſander rex Aphutim vrbem obſederat, & in ſomnio iuſſus ab Ammone ſoluit obſidionem.* Incipit à templo Æſculapii vt clariſſimo ab oraculis huius generis, de eius ſitu ac fama nihil tangit, ſed ſupplebit deffectum ſtrabo, qui non tantum ſitum in Epidauro Macedoniæ ſed & ornatū fuiſſe certis tabulis in quibus ſanati languores eſſent inſcripti ſcripto prodidit. *hæc autem*, inquit, loquens de Epidauro *non parum inſignis eſt ciuitas præſertim ex æſculapii claritate nobilitata, quem varia morborum genera curaſſe ſomniati ſunt homines. Erat vero templum ægrotantium multitudine vſquequaque refertū pendentibuſque tabellis, in quibus ſanati languores erant inſcripti, quemadmodū & in coa fiebat inſula & trica.* quod autem ait ſtrabo de coa inſula intelligendum eſt de

ſtrabo. lib. 8.

tẽplohyppocratis coi quod pari fama & ægrorum concurſu epidaurico erat ſimile, dabanturque ſimilia ibi oracula pro morborum medelis : conſentaneum enim fuerat vt cum Hyppocrates & Æſculapius inſignes fuiſſent Medici ambo etiã poſt obitum templo & oraculo donarentur. faceta veterum deliria, quibus tamen Dæmon mire admodum ſuas fraudes texebat. Sed vt ad Æſculapium redeam. Pauſanias addit rem nec illepidam nec obmittendam de luco qui non longe ab eius templo diſtabat. *Aeſculapij lucum*, inquit, *circumquaque montes cingunt, intra cuius ambitum mori nequaquam aut naſci religio eſt, eodem ſcilicet ritu qui & in dclo ſeruatur.*

*Pauſan. in Corinthiac.*

Verùm

Verùm vt à re lepida ad triſtem tranſeam. erat & in Cilicia eiuſdem Æſculapij templum in quo Dæmon noctu apparebat & tetro quodam ritu ægrotos qui hic ſtabant, ſanabat. Cuius meminit ſozomenus in hiſtoria. *ægis Ciliciæ* (inquit) *in fano æſculapij ægrotantes priſtinæ valetudini reſtituebantur apparebat autem Dæmon noctu & male habentes ſanabat.* dicet aliquis? Quomodo ſanare poterat? miris modis, eſt eſt enim Dæmon expertiſſimus cum duplici acumine ſcientiæ, vigeat ſubtilitate naturæ & experientia temporum, poterat itaque vel humores depellere, vel remedia ſcite apponere: ſed quoties male habebimus,

*Sozomen lib. 2. c. 5*

abſit quęſo à nobis talis medicus.

Templum alterum quod refert Iamblychus in quo etiam conſimilia reddebãtur oracula, illud reor fuiſſe de quo Pauſanias in Phociacis. *Amphyclæ* (inquit) *in Phocide liberi patris adytum eſt, narrant Amphyclenſes quod ibi in ſomnis tum ipſi tum finitimi de morborum medelis moneantur, & ſacrificulus diuino afflatu inſtinctus de futuris conſulentes certiores faciat.*

Fuere etiam duo ſimilia in ora Italiæ ad Adriaticũ, quorum ita meminit Strabo, *in agro Daunio circa tumulum quem Drion nominant, Baſilicæ monſtrantur, vna quidem Chalchantis in ſummo vertice, cui petentes Oracula nigrantem immolant arietem, & ſtrata in*

*Strabo. lib. 6.*

*pelle dormiunt. Altera Podaliriii in infima montis radice.* Nec minus ſtupenda quę refert idem Strabo de Plutonis ac Iunonis delubris & de antro Charonio quod luco imminet in via inter Tralles atque Nyſſam *Tradunt ægrotos* (inquit) *qui horum Deorum curis vacant, eò proficiſci, atque in vico ſpecui vicino, apud ſacrorum peritos immorari, qui præ eis indormientes curas ex inſomniis captant. Hi Deorum remedia inuocantes ſæpe illos in antrum ducunt, vbi tamquam in Cauerna manentes multos dies & ieiuni & quieti exudant, nonnunquam ægrotantes propriis inſomniis intendunt, ductu & conſilio ſacerdotum. Locus hic ceteris peſtifer eſt, & inacceſſibilis* vbi Dæmonẽ honorem iciunij ſibi expoſcere, & locum peſtiferum amænũ reddere, quis nõ rideat, ſed ad quartum membrum

Strabo. lib. 14.

distinctionis pertranseo, in quo non minus faceta oracula videbuntur.

---

## DE QVARTO ET VLTIMO

*Membro distinctionis, id est de Oraculis Dæmonum, quæ ante* CHRISTI *aduentum ex quibusdam signis & ostentis, reddebantur.*

### CAP. XXXVI.

QVis vmquā venator tot & tam varias habuit pedicas ad feras captandas quam Dæmon varios ritus superstitionum, ad

homines ſibi obſtringendos ante CHRISTI aduentum? Id ſatis ſuperque viſum eſt in oraculis quæ iam retuli, ſed en alterius generis, in quibus nõ minus varie luſit, eluſitue. Inter quæ occurrit Primo illud Mercurij de quo Pauſanias in Achaicis, fuit Pharis (inquit) Achaiæ vrbe in medio foro Mercurij barbati ſimulachrum, quod fuit à Simulo Meſſenio, vt inſcriptio indicat, dicatum, vocabatur autem Mercurius à foro ἀγυιᾶτος: iuxta quem fuit oraculum tale. Ante ſimulachrum focus ſitus erat ex lapide, cui adhærebant plumbo detentæ æneæ lucernæ, qui autem oraculum petebat, veſpere illud adi-

*Pauſan. in Achaic.*

bat, & thure ſuffibat, & lucernæ oleo complebantur, ſimulacrique ad dexteram chalcum (denarij id nomen) in ara ponebat: tum ad Dei aurem quidquid volebat, inſuſurrabat, & ſimul manibus ambabus obturatis auribus diſcedebat. hinc foro dilapſus, ab auribus manus amouebat, & quamcumque vocem ille audiſſet, id ſibi oraculum fuiſſe arbitrabatur. Hæc Pauſanias quibus ſimilia prodit Lucianus in Dialoguo de Syria Dea, vbi loquitur de his oraculis quæ pari ferme ritu à ſtatua ſacræ vrbis ſyrorum reddebantur. Sed quia non tantum in terra & ſolo, ſuperſtionum oſtenta & ſigna capi poterant,

ſed & in aqua & ex aqua, ideo paſſim, oracula huius generis ex quibuſdam ſignis in aqua capiebantur. Ita Dæmonis ductu in errores tam varios & ridiculos ruebat Cæca mortalitas.

---

## *DE MVTIS ORACVlis per aquam, quæ ex ſignis in aqua & de his, quę ex talorum iactu Capiebantur.*

HÆc per aquam oracula muta hic voco, ad diſtinctionem eorum, quæ ſupra retuli & per aquã

quoque oracula appellaui, ſed vocalia, quod videlicet nonniſi aqua epota ſacerdos reſponſa daret.

Cæterum inter oracula huius generis ſatis notum eſt illud thyrxæi Apollinis cuius meminit Pauſanias in Achaicis, *aqua*, inquit, *habebatur Cyaneis, in cuius fonte ſi quis intueretur, omnia quæcumque vellet præſciebat*, Sed alterum quod refert Pauſanias eodem loci (vbi de Cereris fano quod erat proximum luco Apollinis in ora maritima) ſcitu quoque non indignum eſt, quod videlicet ad morborum tantum euentus vitam aut mortem, conſuleretur. *Pro Cereris æde* (inquit) *fons eſt, quia tem-*

*plo lapideo pariete ſecluditur. Ad eum fontem per exteriorem partem deſcenditur. Ibi oraculum maximè veridicum eſt. Cognoſcuntur ex eo non rerum omnium, ſed morborum dumtaxat euenta. Speculum tenui ſuſpenſum funiculo demittunt, vt in fonte omnino non mergatur, ſed imo ambitu ſummam aquam contingat: Vbi odores adoleuerint, inſpiciunt in ſpeculum: & ex eius imaginibus periturusne an victurus is ager ſit, de quo conſuleuerunt, diuinant.* Pauſan. in Achaicis.

Subtriſtis erat hæc diuinatio, ſed lepida in hoc ordine, quæ ex piſcibus quorumdam fontium Capiebatur, vt in Lyciæ fonte Apollinis de quo Plinius, *in Lyciæ limira fonte Apollinis (quem Dianum appellant) ter fiſtula euocati veniunt ad augurium, diripere eos carnes obiectas lætum eſt conſultantibus, caudis abigere dirum, quam* Plin. 32 c. 2.

rem vt lepidam & ſcitu dignam Plinius in naturali hiſtoria bis ſcribit, videlicet loco citato, & lib. 31. capite 2. addens portentum ipſius fontis in hæc verba, *fons limiræ tranſire ſolet in loca vicina, portendens aliquid, mirum quoque eſt quod cum piſcibus tranſit, reſponſa ab his petunt in colæ, cibo, quem rapiunt annuentes, ſi vero euentum negent, caudis abigunt.* Quamobrem eos piſces ſacros credebāt ſtulti incolæ & in pleriſque fontibus Dijs dicatis eos auro & inauribus exornabant, *In Labra* (ait idem Plinius) *Gnidij Iouis fonte anguillæ in aures additas gerunt, ſimiliter in Chio iuxta ſenum delubrum, in fonte canura de quo diximus. Hieropoli Syriæ in lacu Veneris*

*ædituorũ vocibus parent vocati, exornati auro veniunt, adulãtes scalpuntur, ora hiantia manibus inferendis præbent.*

Nec minor erat religio fontium, cum ab ipſis etiã auguria caperentur, & Dæmon vt hanc ſuperſtitionem foueret præſtigia ſæpe adderet, vt in his fontibus Cantabriæ quorum etiam Plinius meminit. *In Cantabria* (inquit) *fontes tamarici in augurio habentur. Tres ſunt octonis pedibus diſtantes, in vnũ alveum coeunt vaſto amne. ſingulis ſiccantur duodecies diebus, aliquando vicies citra ſuſpicionem vllam aquæ, cum ſit illis vicinus fons ſine intermiſſione largus: dirumque eſt non profluere eos aſpicere volentibus, ſicut proxime Lartio licino legato poſt*

*Plin. l. 31. c. 2.*

*prætură poſt ſeptem dies accidit.* Dixi Dęmonẽ præſtigijs interdum additis hanc ſuperſtitionem fouiſſe, ſic enim explico quod ille ait de hoc fonte qui nonis Ianuariis vini ſapore fluebat, *In Andro inſula* (inquit) *templo liberi patris fontem nonis Ianuarijs ſemper vini ſapore fluere Mutianus ter conſul prodit*, cur enim nonis Ianuarijs non februariis, & vnde ille ſapor vini in aquam poterat fluere? niſi ab arte Dæmonis hoc ſapore (vt eſt veriſimile) fauces bibentium illinentis.

Sed vt à lepidis ad lepida tranſeamus: fuere & oracula in hoc ordine quæ ex talorum alea capiebantur, (& recte ſane? Quid enim

similius talorum iactui, quam magorum responsa in incertum iactata.) Tale fuit illud Achaiæ, cuius meminit Pausanias. *Apud Buram* (inquit) *Achaiæ oppidum non vtique magnũ Herculis Buraici signũ. Oraculi sortes capiuntur ex tabula per talos: qui consultum venere precatione ad signum peracta, votisque nuncupatis, talos ex ea, quæ in promptu est copia, iaciunt quatuor super mensam. Inscripti sunt certis notis tali singuli, earum illi notarum interpretationem in tabulis similitudinem sequuti requirunt* Tale etiam fuit id oraculum de quo Tranquillus in Tiberio, vbi agit de ominibus eius imperij *Mox*, inquit, *cum Illyricum petens iuxta Patauium adisset Ge-*

Pausan. in Achaicis.

in Tiberio cap. 14.

*ryonis oraculũ ſorte tracta, qua monebatur, vt de conſultationibus in Aponi fontem talos auaureos iaceret : euenit, v ſummum numerum iacti ab eo oſtenderent : hodieque ſub aqua viſuntur ij tali.*

Ecce quàm modis varijs Dæmon olim gentes eluſerit, & oracula ſua dederit, quæ aduentu CHRISTI Domini cùm defecerint, Chriſtiana opera non indignum putaui eorum ritus & præſtigias hic inſerere: ſed quia inter oracula huius ordinis quæ ſignis reddebantur, præcipuum fuit illud ſerapidis in Ægypto celeberrimum, quale id fuerit & quid in eo Dæmon egerit, inquirendum: nam & eum dire hic ſæuijſſe, &

mirè homines eluſiſſe paſſim reperio.

---

*DE TEMPLO ET ORACULO ſerapidis in ægypto. De ſimulachro quod in eo eſſet. De varijs eius ritibus & præſtigijs, & quomodo ſæuitiam & libidinem in eo Dæmon intenderet.*

## CAP. XXXVII.

Vm prius de rei nomine quam de re ipſa tractandum ſit, de origine huius nominis *ſerapis* quo tem-

plum & oraculum fuit celebre, duas opiniones reperio. Prima eſt Diui Auguſtini qui varronem ſequutus vocem trahit à vocabulo græco σορὸς id eſt, *Sacrophagus* & à quodam Apide Argiuorum rege, qui in Ægypto diem obijt, quod Ægyptij hũc Apidem apud eos deffunctum pro deo coluerint & in *ſoro* id eſt ſarcophago poſitum inde *ſorapim* deinde *ſerapim* dixerint, *Apis* (inquit) *rex Argyuorum tranſuectus in Aegyptum: cum ibi mortuus eſſet, factus eſt ſerapis omnium maximus Aegyptiorum Deus.* Secunda opinio è diametro primæ oppoſita Plutarcho attribuitur, qui hunc de σορὸς id eſt, arca Apidis ſermonẽ dam-

*D. Auſtin. l. 18. de ciuit.*

nans, & cum eo Philarchum, at ego (inquit) cum *Serapis* Ægyptium nomen ſit, lætitiam & hilaritatem ſignificare autumo, inde coniecturam ducens quod τὰ χαρμόσυνα id eſt Hilaria feſta Ægyptij appellant σάιρεια.

His breuiter prænotatis de templi nomine & oraculi. Quoad ipſum templum attinet, conſtat fuiſſe celeberrimum, de cuius mole & venuſtate ſic ſcribit Marcellinus, *Inter quę eminet Serapium: quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnarum ampliſſimis, ſpirantibus ſignorum figmentis & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum: vt poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in aternum attollit: nihil orbis terrarum ambitioſius cernat* fuerat autem à

*Marcell. lib. 22.*

Ptolomæo rege cõſtructũ.

Quoad ſimulachrum ſpectat in ipſo templo tam celebre: Ruffinus libro ſecundo hiſtoriæ eccleſiaſticæ refert ita vaſtum fuiſſe, vt dextra vnum parietem, alterum leua pertingeret, vbi inter commẽta quibus templi antiſtites vtebãtur, vt populo ſuaderent adeſſe numen in ſimulachro, iſtud erat præcipuum, erat (inquit) feneſtra quædam perexigua dolis & ea arte cõpoſita vt radius ſolis ingrediens os & labra Serapis illuminaret, ita vt ſpectante populo ſalutatus oſculo Serapis videretur à ſole. erat autem ſimulachrum ex omni genere metallorum lignorumque compoſitum

*Ruffinus. l.2.c.23.*

modio ipſus capiti ſuperpoſito, quod alij ad Iouem referebant vt cum menſura & modo cuncta indicans moderari, quidam ad nilum, cuius fæcunditas ægypto frugum largitatem præberet, alij ad honorem Ioſeph formatum perhibebãt ob dimenſionem frumenti, qua famis tempore ſubueniſſet Ægyptijs, alij vero nõ Ioſeph ſed cuiuſdã Apidis patris familias & regis in Memphide Ægypti ciuitate, qui cum famis tempore frumenta defeciſſent, ex proprio affatim ciuibus alimenta præbuerat.

Sacerdotes autem huius templi dicebantur Hierophantæ (vt dictum ſupra) & licet eſſent Athe-

*Crinitus. l. 9. c. 10. ex D. Hieronim.*

nis ſacerdotes Hierophantæ pariter appellati, qui quo caſtius in ſacris agerẽt, ſorbitione cicutæ ſe caſtrare conſueuerant, iſti tamen peculiari hoc nomine appellabantur, vt colligitur ex verbis Septimij libro primo aduerſus Marcionem, *quos colunt* (inquit) *& Perſarum Magi, & Aegyptiorum Hierophantæ, & Indorum Gymnoſophiſtæ.* Tracto ſcilicet nomine à literis hieroglificis; ſub quibus eorum magicem latuiſſe oſtendimus.

*Lucanus.*

*In ſaxis tantum duris volucreſque feræque*
*Scriptæque ſeruabant magicas animalia linguas.*

*Laert. lib. 1. & 1.*

Quæ vero fuerint eorum primæ literæ hieroglificæ docet Laertius, cùm poſt

eorum dogmata, ſubiungit, *exprimere illos per ſcarabeum & Draconem, accipitrem, aliaque animalia Manetus author eſt* & profecto appoſite? Quorum enim figuris animalium ſe Dæmon in his literis magicis exprimere melius poterat: & quia ſub figuris & literis eorum latebat magice (vt fuſe ſupra oſtenſum eſt) inde factum vt paſſim Magi in Magicis, figuris vſi ſint, inter quos quidã dicti *Circulatores*, nempe à figura Circuli, qua in hac arte nihil crebrius.

*Ignoſco fatuis hęc tamen vulgaribus*
*Quos lana terret diſcolor in ſtipite*
*quos ſæpe falſus Circulator decipit.*

Romanis apud Prudentium.

Hæ autem figuræ cur in magicis ita crebræ ſint ſupra tetigi. vult Dæmon, eos

qui huic arti incumbunt, ad aliquos ritus astringere.

Sed vt ab istorum nomine & magia, ad eorum vestes transeam, nec enim etiam id mittendum, ferebant vestes candidas & calceos papyraceos ad speciem scilicet sanctitatis *sacerdotes* (inquit Herotus) *linea ferunt vestimenta semper recens abluta: huic rei semper vacantes, iidem calceos papyraceos gestant, aliam vestem aut alios calceos induere eis fas non est: genitalia circumcidunt ritu Iudæorum*, ex quibus, video Dæmonem quosdam ritus synagogæ (quæ tunc erat vera ecclesia) mimice effingentem, videlicet in circumcisione & veste, nam & prima ve-

ſtis ſacerdotum legis Moſaicæ erat linea, vt in Exodo legimus. Eadem ferme quæ Herodotus refert Plinius de horum veſte, fruticem, inquit, gigni in Ægypto : quem alij Goſipon, plures Xilon vocant, inde facta Xilina, ex quibus veſtes ſacerdotibus Ægyptiis gratiſſimæ fiunt. Nec illepide Apuleius de his loquens, *influunt turbæ*, inquit, *ſacris diuinis initiatæ, viri fœmineque omnis dignitatis lineæ veſtis candore puro luminoſi.* Ferebant autem ſiſtra ad manus, glabro & raſo capite. Vnde Martialis eorum veſtem ſiſtra, & caluitium hoc vertu rite exprimit & coniungit.

*Plin. lib. 19.*

*Apulei. l. vltim. metamorph.*

*Linigeri veniunt, Calui, ſiſtrataque turba*

Apuleius l. 11. metamorph. Habebant quædam ſacra occulta id eſt magica, quorum candidati decem dies parcebant vino & carnibus. Hic Dæmon (vt paſſim alibi) ſibi indebita arrogabat.

Oracula vero hic reddebantur ex ſignis, oſtentisque (vt dixi) id autem miniſterio cuiuſdam bouis, quem vice numinis colebant, & Apim vocabant ab illo Apide (de quo ſupra) bos in Ægypto (inquit Plinius) vice numinis colitur, Apim vocant: inſigne ei in dextro latere cãdicans macula, nodus ſub lingua, quẽ Cantharum appellant, non eſt fas eum certos vitæ annos excedere, merſumque in ſacerdotum fonte enecant

Plin. l. 8. c. 46.

cant, quæſitiui luctu alium, quem ſubſtituant: donec inueniant, mœrent deraſis etiam capitibus. Nec tamen diu quæritur, inuentus deducitur à ſacerdotibus Memphim. ſunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos auguria populorum: Alterum intraſſe lætum eſt: in altero dira portendit. Reſponſa priuatis dat, è manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Cęſaris manum auerſatus eſt, haud multo poſt extincti. Hæc Plinius, vbi refert præcipuum oſtentum huius Oraculi, ab hoc tauro ſi è manu conſulentium cibum caperet aut abigeret. erant tamen & alia nam & interdum conſulentes ex

ſpectris ſeſe in templo offerentibus monebantur. Vt de Veſpaſiano relatum eſt à tranquillo, qui de firmitate imperii capturus auſpicium, cum ædem Serapidis ſubmotis omnibus ſolus intraſſet: ac propitiato multum Deo, tandem ſe conuertiſſet, verbenas, coronaſque & panificia, Baſilides libertus obtuliſſe ei viſus eſt: Quem neque admiſſum à quoquam & iam pridem propter neruorum valetudinem vix ingredi longeque abeſſe conſtabat. Ægri etiam qui ſanitatis cauſa illuc confluxerãt per quietem monebantur, vnde & templi Deum à multis Æſculapium exiſtimatum, quod ægris corpori-

*Tranquil. in Veſpaſiano. c. 7.*

bus mederetur, à Tacito adnotatum est. Tacitus. lib. 22. histor.

Sed vt præcipuum quod intendo in hoc capite, id est, fæuitiam & libidinem, (quæ hic exercerentur) paucis exequar. Sacerdotes clam infantulos occidebãt, quorũ defecta capita dum inaurassent, in templi adyto affigebant, quæ immanitas patefacta est, dum sub imperio Theodozij templum subuersum est, nam id adytum solis antea sacerdotibus accessibile huiusmodi capitibus decoratum inuentum est. *Quot tibi infantum capita defecta inauratis labris inuenta sunt, quot miserorum cruciabiles mortes depictæ*, inquit, Ruffinus loquens de subuer- Ruffin. l. l. 2. histor c. 24.

sione huius templi. hinc Eusebius vbi agit de hoc Serapide eum principem vocat malignorum spirituum.

*Euseb. l. 4. præparat.*

Hæc crudelitas in hoc fano impulsu Dæmonis talis extitit, quæ sane tanto dira, & mœsta, quam lepidum id commentum, quo hidem sacerdotes ad libidinem vterentur & inter eos sacerdos Saturni. Is enim (vt refert idem Ruffinus, quasi ex responso numinis, adorantibus in templo nobilibus quibusque & primarijs viris, quorum sibi matronæ ad libidinem placuissent, dicebat Saturnum præcepisse vt vxor sua pernocteret in templo. Tum is qui audierat gaudens quod

*Ruffinus lib. 2. hist. c. 25.*

vxor ſua dignatione numinis vocaretur, exornatam comptius & donarijs onuſtam coniugem mittebat ad templum. Tunc in conſpectu omnium incluſa intrinſecus matrona, ſacerdos clauſis ianuis & traditis clauibus diſcedebat. Deinde facto ſilentio per occultos & ſubterraneos adytus, intra ipſum Saturni ſimulachrum patulis irrepebat cauernis (erat autem ſimulachrum illud à tergo exeſum & perieti diligenter annexum (ardentibusque intra ædem luminibus, intentæ ſupplicãtique mulieri vocem ſubito per ſimulachrum æris concaui proferebat, ita vt pauore & gaudio infælix mulier tre-

pidaret, quod dignam se tanti numinis putaret alloquio: postea vero quæ libitum fuerat vel ad consternationem matronæ, vel ad libidinis incitamentũ diſſeruiſſet numen impurum, arte quadam linteolis obductis, repente lumina extinguebãtur vniuerſa: Tum deſcendens obſtupefactę & conſternatæ mulierculæ adulterij fucum profanis commentationibus inferebat. Hæc Ruffinus, ſed proh dolor non tantum Dęmon in hoc oraculo, ſed hęc paſſim in alijs peragebat. Hac de re igitur tangam aliquid, quò plus enim de arte Dæmonis & fæuitia ante CHRISTI aduentum inquiritur, tantò magis

Chriſtianę pietatis & gratię dignitas eluceſcit.

---

## *QVOMODO IN ORACULIS ferè omnibus ſæuitiam & libidinem Dæmon intenderet.*

### CAP. XXXVIII.

NON tantum, Dęmon in hoc oraculo (de quo diximus) ſed & in alijs fere omnibus ad id videtur collima-

ſe, vt & luderet & ſæuiret, id eſt, vt hæc duo intenderet, libidinem & ſæuitiam. Et primo de incitamentis libidinis multa paſſim extant exempla. Præceptum fuerat ab oraculo Methymnenſibus vt præputiũ Bacchi colerent, & craſſante Athenis peſtilentia, reſponſum, ab eodem, vt pro remedio, Priapos ad feneſtras appenderent. A primo effluxit, vt Bacchus, & χαιρόφαλλος, & ἔνορχης, id eſt nõ caſtratus dictus fuerit, & his fædis nominibus paſſim cultus: à ſecundo vero, vt Græci in Bacchanalibus, Oſcilla, id eſt obſcenæ partis ſimulachra ſuſpenderent de arboribus.

*Giraldus in Syntagmate. Heſychius in voce enorchus.*

*Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.* 2. Georg.

Et Romæ in Magia, qua ad pellendum fascinum vtebãtur, nõ deerat hæc obscœnitas Varrone teste, *quod pueruli*, inquit, *turpiculares in collo quædam suspenditur ne quid obsit bonæ scæuæ causa.* Mitto reliqua ne lędam castas aures, ex his tamen iam intelligo cur dicatur Iob penultimo potestas Dæmonis esse in lumbis & vmbilico, quod scilicet per luxuriam multum dominetur hominibus, hoc enim vitium id habet peculiare vt & corpus & animam polluat. *Varro. li. 4. de ling. latin.*

Sed vt transeam ad sæuitiam, quam & in his Oraculis Magicis Dæmon intenderet. Ea præsertim ob-

lectabatur, ad hanc dolos & neruos animi conferebat, nihilque olim dirum extitit. Nec vlla fere in humanum genus immanitas, quin à quodam Oraculo emanarit. Saturnii in latio sacrificium, non quidem vt homo ad aram immolaretur, sed vt in Tyberim de ponte Miluio mitteretur, ex responso quodam factitatum Varro author est. Narrat Plutarchus morem fuisse in Græcia quosdam in bello captos ex responso Oraculi Dionysio (cognomento Carniuoro) immolare, id est crudeliter interimere. Dira illa & nefanda Chartaginensium religio, vt infantes qui princi-

*Plutarch. in Aristide.*

pum filij eſſent, ſorte ductos, regio ornatu Saturno immolarent hoſtias, a quodam etiam reſponſo Oraculi emanarat. Quod Imilce vxor Annibalis, dum eius eſſet Mactandus filius Aſpar nomine, ſic luget apud filium.

Silius Italicus l. 4.

*Quæ porro hæc pietas delubra aſpergere tabo?*
*Hen primæ ſcelerum cauſæ mortalibus ægris*
*Naturam neſcire Deum: iuſta ite precari*
*Thure pio, cædiſque feros auertite ritus:*
*Mite & cognatum eſt homini Deus, hactenus eo*
*Sit ſatis ante aras cæcos vidiſſe iuuencos.*
*Aut ſi velle nefas ſuperos, fixumque ſedetque.*

*Me me quæ genui vestris absumite votis*
*Cur spoliare iuuat lybicas hac indole terras.*

Ab istis vero sacris cum desciuissent, postea victi ab Agathocle, Deos propterea subiratos arbitrati: vt numen placarēt c c. nobiliū filios occiderunt, & tantam partem ciuitatis (vt recte Lactantius) quantam fortasse ne Agatocles quidem victor occiderat.

*Lactant. l. 1. c. 21.*

Quibus omnibus elatus Dæmon, non tantum sua Oracula, vt in homines sæuiat, vbique erigit, sed (quod mirum) in ipsa Iudæa (in qua sola tunc Deus colebatur) per regem Achab Oraculum Baal statuit, quod quidem non

tantum publice consulebatur, nam rex Ochosias male habens, *Ite* (inquit nuntijs) *consulite Baalzebub Deum Accaron, Vtrum viuere queam de infirmitate mea hac*, sed dira immanitate hic a parentibus proprij liberi vrebantur, de qua Dei spiritus per Hieremiam quasi dolens & miserens, *ædificauerunt excelsa Baal ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baal: quæ non præcepi, nec loquutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* 4. Reg. cap. 1. Hierem. 19.

Obtalia in hisce oraculis tam horrenda, & Dæmonem ita in homines sęuientem, Dei famuli, donati vaticinio, tot votis vt VERBVM CARO fieret expe-

tebant, & ipſa rerum vniuerſitas quaſi tacito ſtrepitu & ſuſurro has voces effundebat *Rorate cæli deſuper & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra & germinet ſaluatorem*, vt ſcilicet quæ peccatum primi hominis de terra terreni mala inuexerat, ſecundus homo de cælo cæleſtis depelleret.

DEFICIVNT ORACULA CHRISTI *aduentu, quædam concionantibus Apoſtolis obmuteſcunt. Cineres martyrum eorum tẽplaeruunt, tum de ſcientia Dæmonis aliquid tangitur.*

## CAP. XXXIX.

DRæceptũ quidem à Deo fuerat Moſi & populo *ſubuertite omnia loca in quibus coluerint gentes quas poſſeſſuri eſtis, diſſipate aras eorum & confringite ſtatuas, lucos igne comburite* ſed vis huma- Deuter. 12.

na impar oneri ſuccumbebat. Vitulum Iudæorum Moſes quidem confregit. Rex Ezechias eorum lucos & ſtatuas, nec non ſerpentem æneum quem fecerat moſes: nam ad hæc vſque tempora adolebant ei incenſum filij Iſrael. Rex Ioſias contriuit aras & idola quæ Manaſſes auus eius extruxerat. Sed ad gentium idola & regni Dæmonis fundamenta funditus diruenda, fortiori auxilio res egebat. Defeciſſet humana opera in hoc opere. CHRISTVS naſcitur, qui *in hoc apparuit filius Dei vt diſſolueret opera Diaboli.* Eo naſcente, deficiunt Oracula & eorum præcipua centum fere annos ante, vt te-

4. Reg. c. 18.

4 Reg. c. 23.

1. Ioann. 3.

nebræ etiam ante ortum ſolis diſpereunt. Mirantur veteres hunc deffectum, ſed cauſam ignorant, *Non vides Oracula olim loquuta deſijſſe & nullas in cumano antro literas legi, nec Dodonã loqui frondibus, & de ſpiraculis Delphicũ nullum carmem edi* ait Symmachus quaſi mirãs ſed cauſam negãs. fruſtra etiã ſe torquet Plutarchus huius deffectus cauſas afferens: omnium rerum eſſe viciſſitudinem, Dæmones ipſos Oraculis præpoſitos ſeneſcere & mori, exhauſta cæleſtis ſpiritus vi: Denique abundare ſuam ætatem Philoſophis & ſapientibus, quorum reſponſa deffectum oraculorum ſupplerẽt. Tanti ingenij mirum commen-

*Symmac. lib. 4. epiſtolarum, epiſt. 33.*

*Plutarc. l. de defectu oraculor.*

tum. Cicero eandem narrat fabulam, dum in libris de diuinatione aït Diuinos Spiritus exhauriri. Lucani gratior genius, vbi de Delphico.

Lucanus. lib. 5.

*Sed ſiluit poſtquam reges timuere futura*
*Et ſuperos vetuere loqui*

Poetæ veteres etiã hunc deffectum mirantes, de eo paſſim canũt. Et quaſi prophetico ſpiritu Statius, vbi de exitu Amphiarai.

8. Theba.

*Quicquid es, æternus phœbo dolor, & noua clades*
*Semper eris, Mutiſque diu plorabere Delphis*
*Non Clarias hac luce fores,*
*Didymæaque quiſquam*
*Limina, nec lyciam ſupplex conſultor adibit.*

Et Claudianus in latonæ

alloquio ad Proſerpinam, dum raperetur

*Te iuga Taygeti, poſito te Manala flebunt*
*Venatu, mœſtaque diu lugebere Cyntho*
*Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt*

*Lib. 2. de raptu.*

& Lucanus, vbi de Nerone

*Lucanus lib. 5.*

——— *Multoſque obducta per annos*
*Delphica fatidici reſerat penetralia Phœbi*

& Satyricus Satyra. 6.

——— *Ceſſant oracula Delphis*

& luculenter eorum princeps, ſub nubilo Troiani excidij.

*Exceſſere omnes, adytis ariſque relictis*
*Dij quibus imperium hoc ſteterat.*

*2. aneid.*

Qui omnes deffectum quidem canunt, non cauſam, vt pote neſcientes, quam callens Chriſtianus poeta luculẽtius quã hi omnes his verſibus ſane aureis.

*Prudentius in Apotheoſi.*

——— *Hominis* DEVS *induit artus*
*Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra*
*Non tripodes cortina tegit*

Sed quis hic poſſet exprimere luctum Dæmonis ob hunc deffectum? cum & ſuis oraculis nihil ſanctius haberetur, & ex ijs ſua ſacra obſtringeret? quas ille nouas fraudes ſtatim contexuit, iam falſa edens oracula, aut ea edendi, ſuis antiſtibus aſtus ſuggerens (vt ex Theodoreto ſupra diximus) imo & CHRISTI

miracula præſtigijs effingens, vt in Apollonio Thianæo & Veſpaſiano Auguſto dum in æde Serapidis orbato cuidam luminibus viſum reſtituit: Sic enim intelligendus Tranquillus, dum loquens de Veſpaſiani in Ægyptũ tranſitu poſt illud ſupra allatum. *Hic cum de firmitate imperij capturus auſpicium, ædem Serapidis ſolus intraſſet* ſubiungit *è plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro Tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonſtratam à Serapide per quietem: reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet: confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cùm vix fides eſſet rem vllo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri qui-* *in Tit. Veſpaſiano. cap. 7.*

*dem auderet: extremò hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentauit, nec euentus defuit.*

Sic, nequam & mendax Spiritus vera CHRISTI miracula effingebat, & potiſſimum in hoc fano Serapidis, de quo poſtea tam ægrè & quaſi lugens egreſſus eſt, nam dum poſt CHRISTI obitum ſub imperio Theodozij templum ſubuerſum eſt horrendę voces exauditæ, ſuaſumque erat gentilibus, quod ſi humana manus ſimulachrum cõtigiſſet, terra dehiſcens illico ſoluere-
*Ruffinus. l. 2. hiſtor. c. 24.* tur in chaos, cælumque repente rueret in pręceps: ſed nihilominus à Chriſtiano quodam milite fracta hæc

ſtatua & deinde combuſta eſt, magno Chriſtianorum applauſu & gaudio. Itaque moleſtum erat Dæmoni ſibi ædem tam charam deſerere, & ideo mœſtus & furens vera CHRISTI miracula præſtigiis effingere nitebarur: eò enim referendum eſt, quod proditur ab authoribus de Veſpaſiano viſum reddente, & de Appollonio à Philoſtrato, & quod in tabella marmorea in Æſculapij templo inuenta (quæ Romæ apud Maphæos conſeruatur) ſcriptum eſt, quomodo Oraculum docuerit Caium & Valerium vtrumque cæcum, modum recuperãdi viſum, idque factum eſſe publice coram omni populo. Hæ

fuere præſtigię vafri Dæmonis hunc deffectum ſuorum Oraculorum lugentis.

Sed, miſſo luctu Dæmonis, vt ad rem tranſeam non mittendam. Concionantibus Apoſtolis etiam idola obmutuiſſe prodit Theodoretus libro 10. Græcarum affectionum, vt in India idolum Aſtharot Diui Bartholomæi præ entia, vt luculenter narrat Abdias in hiſtoria Apoſtolica. In Indiam (inquit) veniens Bartholomæus Apoſtolus ingreſſus eſt templum Indiæ, in quo erat idolum Aſtharoth, & quaſi peregrinus ibidem manere cępit: in hoc idolo Dæmõ talis erat, qui diceret ſe curare languentes, & cæcis, quos

*Abdias. lib. 8.*

ipſe

ipſe lædebat, viſum reddere. Sed Diuo Bartholomęo illic manente nulla poterat reſponſa Aſtharot dare, neque vlli ex his, quos læſerat ſubuenire: cumque iam plenum eſſet languentibus templum, & quotidie ſacrificantibus nullum daret Aſtharot reſponſum, ij qui ex longinquis regionibus adducti iacebant, cum neque ſacrificijs, neque ſe ipſos de more laniando proficerent, perrexerunt in aliam ciuitatem, vbi aliud Dæmonium colebatur, cui nomen erat Beireth, illic ſacrificantes cæperunt inquirere quare Aſtaroth amplius non daret reſponſa, quibus reſpondens Beireth, Deus veſter (inquit)

ſic captiuus & religatus tenetur, vt neque anhelare nec loqui audeat, ex illa hora qua hic Bartholomæus ingreſſus eſt: Tum dicunt illi? quis eſt iſte Bartholomæus? reſpõdet Dæmon, amicus eſt Dei omnipotentis, qui ideo huc venit, vt numina quæ colunt Indi euacuet. Tum illi, dic nobis ſigna, vt poſſimus inuenire eum; reſpondet Dæmon, capillo nigro & criſpo, barba prolixa, induitur albo pallio in ſingulis angulis vna gemma purpurea exornato. Viginti ſex anni ſunt, ex quibus nõ ſordidantur veſtimẽta eius, centies flexis genibus per diem, centies per noctem orat Deum, vox eius quaſi

tuba vehemens eſt, ambulant cum eo angeli Dei, qui non permittunt eum fatigari, nec eſurire: *Rogo autem vos, vt dum eum inueneritis rogetis eum ne huc veniat, vt non faciant mihi angeli, qui cum eo ſunt, quod fecerunt collegæ meo Aſtaroth.* Factum eſt autem vt quidam plenus Dæmonio in æde Aſtaroth clamaret & diceret, Apoſtole Bartholomæe incendunt me orationes tuæ. Tum Apoſtolus, obmutesce (inquit) & exi ab eo, & ſtatim liberatus eſt homo ille. Hæc Abdias, quæ ſanè ſcitu digna & Chriſtiana lectione.

Ecce? quid poſſint Dei ſerui: Imo & ob cineres martyrum in Dæmonum

Sozomen. l. 5. hiſtor. eccleſiaſt. c. 19.

fana tranſlatos obmutuiſſe oracula lego apud Sozomenum, vbi narrat hiſtoriam Babylæ martyris & ſubuerſionem templi Apollinis, quod in Daphne Antiochiæ Seleucus Antiochi pater extruxerat. Gallus (inquit) frater Iuliani, Cęſar à Conſtantio deſignatus, Antiochiæ ætatem degebat, & quia Chriſtianus, eos qui pro religione Chriſtiana martyrium obierant, colebat: vtque erat pietate in Deum ardens, conſtituit hunc locum purgare ſuperſtitione gentilium, atque cum perſuaſum haberet ſe facile hoc perfecturum, ſi modo eccleſiam ibi in delubri loco extrueret, tranſtulit in Daphnem loculum

Babylæ martyris, qui eccleſiam Antiochiæ præclare admodum rexerat, martyrioque occubuerat: ex quo tempore Dæmon delubri nullum oraculum vti conſueuerat edidit. Stupeſcunt incolæ & cauſam prodigij eò referunt, quòd de more ſacrificia & libamina non offerrentur, ſed gallus Cæſar vt eos erroris conuinceret, delubrum petit, & hic non militum manu, ſed fide ſeptus, peractis de more ſacrificijs & multo pluribus, rogat Dæmonem vt reſpondeat, cur ſiluerit. Tum Dæmō rupto ſilentio ſilētij causā aperit, ſe nimirum propter Babylam martyrem, cuius buſtum vicinum erat, oracula dare non

potuiſſe, vtque ægrè, & coactus fide precibus Galli Cæſaris, reſponſum promebat, reſpondit lepide, *locum eſſe refertum cadaueribus mortuorum, idque obſtare quominus Oracula ederet* quod miraculum aliud ſubſequtum eſt, dum enim loculus (in quo erant cineres martyris) in delubrũ translatus eſt, ignis repentè irruens totum tectũ, ipſumque Daphnæi Apollinis ſimulchrum abſumpſit. Hęc Sozomenus, quæ fidem vere credentium augent, accenduntque. Ecce quàm luculentum & verum ſit quod ait Diuus Chryſoſtomus homilia 66. ad populum, *Sanctorum oſſa Dæmones ſiſtunt & torquent, & cinis*

*D. Chryſoſtom. homil. 66.*

*ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant* & tamen nouatores ( quibus hodie scatet gallia ) cineres martyrum flocci faciunt, & nos qui eos magni pendimus, superstitiosos vocant. Proh dolor? vident miracula habent ad manus & ob oculos, sed quasi morbo lethargico cõsopiti nihil sentiunt. Numquid ossa & cineres Beatæ Genouefuæ aresceti Lutetiæ imbres impetrant. Et ipsi testes oculati, quod vident negant.

Oracula igitur desinunt: quædam ante CHRISTI aduentum, vt tenebræ ante solem: quædam ipso viuente: quædam post eius obitum, meritis Martyrum

& ſanctorum, vt enim Dux parta victoria, non renuit ſuos milites triumphi eſſe participes, ſic CHRISSTVS poſt fuſum Dęmonẽ Crucis baculo, ſuos ſanctos & martyres. Milites dextras & ſanguinem vna cum duce ad pugnam conferunt: ſed CHRISTVS Dominus in hac pugna ſolus ſanguinem fudit? verum eſt in duello CHRISTI cum Dæmone pro hominibus, ſed quod deinde ſancti & martyres pro CHRISTO ſanguinem fuderint, vult Deus vt triũphent, edant miracula, & ob eorum oſſa & cineres Dæmones obmuteſcant.

*Obiectio nonatorii.*

Deficiunt Oracula? parum quidem prima fronte ſed ſedulo perpendẽti ma-

gnum videbitur. Si Dæmon ſęuire vellet in homines oraculo opus erat, quia nil ſanctius & Auguſtius, ſi ſuperſtitio imperãda, eodem quoque. Nam & omnes fere ritus ſacrorum Dęmonis reperio in hoc oraculo quod Porphyrius in libro reſponſorum, & Euſebius aſcripſerunt. Denique vafer Dęmon quo maior eſſet concurſus ad hęc Oracula, ea, in loco qui ex quodã prodigio eſſet celebris vt plurimũ ſtatuebat. In oraculo Dodonęo Iouis fõs cum eſſet gelidus & immerſas faces extingueret, ſi extinctæ admouerentur, accendebat, in meridie ſemper deficiens. In Hammonio fons interdiu frigidus,

*Euſeb. li. 4 præparat. Euãgel.*

*Plinius l. 32. c. 2.*

noctu ferue bat. In Delo insula, non longe ab oraculo, Inopus fons eodem quo nilus modo, ac pariter cum eo crescebat & decrescebat. Quæ omnia siue ex occultis rerũ causis effluerent, siue effingerẽtur præstigijs, hæc tamen loca eligebat pater mendacij, vt homines partim religionẽ & sacris, partim nouitate allecti, vndequaque illuc tenderent, & sic ille plures habens cultores in Deum superbiret. Quibus perpẽsis, præclare Augustinus (vt eius verbis hunc tractatum de oraculorum defectu concludam) *nolunt aduertere* (inquit) *de quanta & quam maligna Dæmonum potestate nos liberet singulare sacri-*

*D. Augustin. l. 4. de ciuit. c. 31.*

*ficium tam ſancti ſanguinis fuſi & donum ſpiritus impertiti.*

Sed dicet aliquis? vnde quæſo? vt toties hæc Oracula vera prædixerint? reſpondent multi id accidere potuiſſe, cum Dæmones triplici acumine ſcientiæ vigeant, ſubtilitate naturæ, experientia temporum, & reuelatione ſupernorum ſpirituum, vt etiam docet Diuus Auguſtinus ſuper Geneſi ad literam. Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 173. eo præſertim inſiſtit, quod Deus ſæpe etiam loquatur per os Arioli & malefici, vt de vate Balaam ſupra dictum eſt. Genebrardus libro ſecundo Chronologię vbi loquitur de his Oraculis, reſpõſa

*Lib. 12. ſuper Geneſ.*

*Genebrardus ad annum mundi 3670.*

(inquit) partim erant dubia, partim à Prophetis ſumpta, qui multo ante gẽtium & populorum varios caſus & vices prænuntiauerant, vt Aſſyriorum Eſayas, Babyloniorum Ieremias, Macedonum Eſay. 23. & Daniel 8. Romanorum Balaam numerorum 24. & Daniel ſæpius. Nabuchodonoſor Eſay. 14. & Ieremias 23. Cyri Eſay. 45. Alexandri Macedonis & ſucceſſorum Daniel 8. & 10. facile enim erat Dæmonibus ingenio & ſcientia pollentibus iam dicta dicere. Hæc Genebrardus erudite. licet enim Dæmones multa ſciant, quæ tamen ex cauſis pendent liberis ſoli Deo ſunt cognita.

Hæc ſufficiant de antiquis oraculis, eorum ritibus, deffectu & trophæis CHRISTI in Dæmonem ſed tranſeundum ad alteram partem tituli videndumque quid & hodie ludat Dæmon apud populos, qui nondum Chriſtianę religionis radiis illuſtrati deguntin tenebris, vel quid luderet, ante illatum ad eos Euangelium.

---

## *Dæmonis Mimica apud Indos Turcas & barbaros.*

### CAP. XL.

IAVD ſcituindigna, quæ ludit Dæmon in ora Indiæ. Hic enim diuinorum operum ſimia,

ritus Romanæ Ecclesiæ (quæ sola vera est) mire effingens. Illud supra allatum Tertulliani confirmat. *Diabolus, cuius sunt partes interuertendi veritatem, ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in idolorum mysteriis æmulatur.*

*Tertull. l. de præscript.*

In Iapone, quidam humana forma Dæmones qui goqui dicuntur ab incolis, præsto sunt peregrinis in itinere, & ab eis in stateram prius coniectis confessionem peccatorum extorquent, sed postquam luserе, furunt deinde: appensa enim statera in prærupto rupis vertice, si cõfitens confessionem rite non peragat, eum iaciunt de rupe & in frusta comminuunt. In Peruana prouincia fiebat quo-

*Maphæus in epist.*

que peccatorum confeſſio, non quidem ritu tam ſęuo ſed lepido. Proceres prouinciæ, quos *Ingats* vocant, confitebantur ſoli, populus vero ſacerdotibus.

Habet & illic Dæmon ſuos Monachos & eremitas, quos Bonxios vocant. Hi nefaria illius gentis procurant ſacra, capite ac mento prorſus abraſo incedunt: exequias ducunt & alternantibus in odæo choris, carmina ſuo more decantant. Conciones habent ad populũ. Honeſto loco nati plerique: nam proceres multitudine liberorum & anguſtia rei familiaris vrgẽte, ex ijs aliquos ad Bõxiorũ inſtituta ac familias aggregant. Omnes concilian-

dæ pecuniæ causa in omne argumentum sanctimoniæ grauitatisque cõpositi. Vnde multa variis habẽt locis Gymnasia copiosis instructa vectigalibus: Suntque eorũ sectæ plurimę barbaro quodam nomine appellatæ vt *Barraca*, *Tẽdaui*, *fotochi*, *foxequ*, *Xingon*, *Denich Iexu*, *Iõdaxu*, *Xintam* & similibus. Bonxii sectę Barraca meditationibus quibusdã vacant arbitratu suo confictis, & licet somnia meditentur, erunt tamen inter eos, qui triginta & septuaginta annos integros in meditando consumant. Bonxiorum familia quæ à foxequ nomen duxit, vitam seueriorẽ cæteris omnibus profitetur, quidam in antris habitant,

vt primores magi ( de quibus ſupra ) quida carnibus & tritico abſtinent, herbis tantum victitant, arborumque baccis ac pomis. Bōxij vero eius ordinis, quos vocant Iamambuxas, hoc eſt milites conuallium, vbi ie grauiter punierint & vigilantes cibo parciſsimo vſi fuerint, altero denique vel tertio vbi ſatisfactum eſſe diabolus pronuntiauerit, nonnullis amentiæ ſocijs vna ſecum adhibitis emendicata à popularibus ſtipe, mare petunt, nauiculamque concendunt, cuius ſentinam ita perforant, vt accepta paulatim aqua, mergatur. Sic Dęmō fere ſemper, vbi ſimia ſtatim eſt leo, vt videre eſt in Bonxiis huius familię, & in reliquis fere omnibus, quorum ſuaſu pręgnantes in Iaponia fęminę ſæpe medicamētis partum abigunt vel etiam editos in lucem infantes alendi tædio præfocant, perſuaſumque habent alicubi, fæminā ſi pepereunt, ad inferna dā-

nari, quare permotæ fœtum in vtero haud raro interimunt. quę ſeuitia nullis legibus coercetur cum à ſacra (vt credunt) Bonziorum doctrina effluxerit. Conſueuerat etiam diabolus in quodam monte ſeſe Iaponiis viſendum prębere. Qui maiore beatarum ſedium deſiderio tenebatur, eo ſe conferebat, eamque viſionem expectabat: Denique oblatum ſibi viſum, eiuſdem ſuaſu, in interiores vſque ſequebatur receſſus ad foueam profundiſſimam, ad quam Dæmō deſiliens, cultorem vna ſecum ad interitum detrahebat. Patuit autem fraus beneficio cuiuſdam filii, qui ſenem patrem ea ſuperſtitione captum ſequtus, ad pręcipitium illud peruenit, quo in imo permulta oſſa reppcrit mortuorum, quos Dæmon per eam ſpeciem ante deceperat. Sæuiebat & crudelius in vrbe Temiſtan, vbi quotannis viginti hominum millia pro ſacrificio necabantur.

Sed ( quod Chriſtianorum fidem accendit ) poſt illatum hęc in loca Euangelium , deficiunt hæ fraudes Dęmonis & ſęuitię & multi ex his barbaris Chriſtiani iam facti experiuntur & canunt, *quàm dulce eloquium tuum Domine, ſupra mel ori meo.* Non potuit Dagon conſiſtere ante arcam Dei, ſed fractum concidit, *non eſt conuẽtio Chriſti ad Belial* nec ineruenti ſacrificii miſſæ cum ſæuitia Dæmonis. Cui Auguſtiſſimo ſacrificio tantum acceptum beneficium referre debent Indię populi. Ecce Romanę Eccleſiæ ( quę ſola vera eſt ) ſacramenta in oris tanta terrarũ intercapedine Roma diſiunctis , quam mire operentur. Poſſem proferre exempla propemodum infinita, quòt Dæmones hic expulſi, quot edita miracula ſacro peracto à ſacerdotibus, & dum multi ex his barbaris, ſacris Baptiſmi aquis ſunt abluti. Anno ſalutis 1553. Bungi Iaponię cuiuſ-

*Pſa.*103. 1.*reg.c.*5. 2.*ad Corinth.c.*6.

dam Pauli filia cum triginta iam annis male à Dęmone haberetur, nonniſi exorciſmo poſt ſacrum peracto liberata eſt. Priore anno in eadem vrbe Iaponię, quidam Oculorum acie debili, ſacris Baptiſmi aquis ablutus, Dei benignitate vna cum animi lumine oculorum quoque lumen recepit. Huius affinis quidam cum ita à Dæmone torqueretur vt multos dies nihil omnno guſtaret, nec iam patrem vel affines cognoſceret, ſimultatque ſuper eum ſocietatis præsbiter ſacra illa effatus eſt verba: *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti* à nequiſſimo ſpiritu liberatus eſt,

His miraculis & ſimillibus Catholica Apoſtolica & Romana eccleſia tam longe fuſa eſt. Et profecto improſpere hæreticis res ceſſiſſet, ſi ſuam propagandi ſtudio eò ſe contuliſſent, cum enim nullis miraculis eorum miſſio claruiſſet, opera & oleo perditis à Bonxiis & Brachmanis deriſi rediiſſent. Et cũ ritus Romanæ Ec-

eleſiæ, vt ſignum crucis, aquam luſtralem & alia id genus ipſi derideant, accidit vt ex iſdem ritibus (diuina prouidentia ita volente) creberrimi ibi fiant miracula. In eodem regno multorũ ęgritudines nõ alio medicamento depulſę ſunt, quam aqua benedicta, cuius virtus tot experimentis, præſertim vero in oculorum curatione, quibus Iaponii vulgo laborant, comprobata eſt, vt eius petendæ cauſa à leucis decem vel duodecim ad Bungenſe ſocietatis collegium concurratur. *Mapheus lib. 1. ſelectar. epiſtol.*

Sed ab India ad Aſiam, ab Indis ad Turcos trãſeo, quorum etiã religio eſt à Dæmone, quem in ea tã Synagogæ quam Chriſtianę eccleſiæ ritus fingere plane cõſtat. Mira Mimica: nam & Turcicæ ſanctitatis eſt genitalia circumcidere, & ipſi pariter ac Iudæi Auguſtiſſimæ Trinitatis negant myſterium, quibus & ideo cõuenit, quod à Chriſto Iudęis dictũ eſt, *nemo cognouit patrẽ niſi filius, neque filiũ niſi pater, & quibus reuelauerit filius.* Suis aris diſcal- *Luc. 10*

ceati aſſiſtunt. huuc, Dęmon pater ſuperbiæ ſibi ab eis cultū poſtulat. vbi etiā quoſdā (vt dixi) effingit ritus Chriſtianę eccleſiæ, vt ea quæ Dei ſunt ad ſe transferat. Habent enim quadrageſimam quam voçāt *Romadā*, eāque quotannis ieiunāt, ſunt etiā apud eos quidā monachi, qui cęlibem vitā profeſſi ſtipē erogant, corpus dilacerant (quod illi quadā herba efficiūt ad id propria) vt deinde carnes cruentas & laceras populo exhibētes pecunię plus emendicēt. Ecce quomodo nequā ſpiritus dum errores & religiones prauas inuehit, aliquid trahat mimice tum ex Synagoga, quæ deſiit, tum ex vera & Chriſtiana Eccleſia, vt recta prauis, vera falſis immiſceat. Sed & paſſim in Europa ſic ludit. Imo & inter Chriſtianos quoſdam qui à Romana Eccleſia deſciuere, Chriſtianos quidem ſe profitentes, ſed quod Chriſtus dixit non credentes.

## *Dæmonis Mimica apud nouatores.* CAP. XLII.

NOVVM errorem effinxit Dæmon inter iſtos. ſuam mimicam traxit ex Iudæorum lege, quæ deſijt. Habebant illi vmbras tantũ & figuras. Iſti figuram tantũ vmbratilem tanti arcani & ſacrificii (quo haud maius dari poterat) Eos itaq; e paſcit Dæmon (vt ſuæ aulæ famelicos Heliogabalus) pictis dapibus. qnid enim dare aſſolet niſi vmbras pro corporibus vitra pro adamantibus. Effinxit inquam. Sic hæreſis & magia germanæ ſunt nãm vt Tertullianus erudite & luculenter, *neque à Diabolo immiſſa eſſe ſpiritualia nequitiæ, ex quibus etiam hæreſes veniunt dubitare quis debeat: neque ab idololatria diſtare hæreſes cum & authoris & operis eiuſdem ſint cuius & idololatria.* Id tamen eſt diſcriminis inter magos & hæreticos, quod hi ſcientes colant Dæmonẽ iſti vero per imprudentiam. Cęterũ ſimiles.

*Tertul. lib. de præſcript. hæreticor.*

Inter magorum vitia animi elatio primas tenet, quę etsi interdū cōtegatur intus tamē semper æstuat. Hęretici eo morbo affecti sunt: delirat (dicūt) tota Ecclesia: ipsi sacras paginas soli intelligunt, & si quid obscuri subincidat, sibi datū lumē diuinitus insolērer asserunt, se à Deo missos deprædicāt, cuius tamen missionis nulla extāt miracula multa portenta. Flagrant magi libidine. Hæretici quoque & castitatis florē flocci pendentes, superstitiosum inuentum vocant, Aetium tacito æmulantes qui stuprum nihil esse ceniebat quā corporis necessitatem & ministerium Præcauendum à libris magicis. Cauendū pariter à libris hæreticorū.

*D. Epiphanius cōtra Aetium.*

Ex his omnibus quę in hac opella inserui, quis non videt dignitatē Apostolicæ & Romanę ecclesię quę Dęmones sola abigit, eorum videt præstigias, imo & ipsos dilaniat. Vicinus morti Socrates Deo gratias egit quod gręcus natus esset nō barbarus, quāto magis nos quòd nati alumni veræ ecclesiæ.

CORNELL
UNIVERSITY
LIBRARY